



1704.

1. ^{19^{te}} Beierus, Adrianus: De manufacturis (Simpl-
1704 à 1745)
2. Beierus, Adrianus: De donationibus.
3. Bruckner, Gunt. Hieronymus, Collegii juris Dni. Iocann:
De modis et titulis acquirendi Dominium, et
speciatim de traditione, et emptione venditione,
occasione l. 15. C. de rei vind. Programme inaug.
(lectioni auspicali Johannis Christiani Hildebrandi
praemissum)
4. Bruckner, Gunt. Hieronymus, Collegii juris Dni. Iocann:
De locato pignore locatoris in rebus em-
pctoribus: Matis occasione l. 5. C. locat. Pro-
gramme inaug. (lectioni auspicali Johanni Met-
thiae Stockii praemissum)
5. Gausius, Rudolphus Gumbertus: De philtis

1704.

6. Friesen, Joh. Bernhardus: De herede fidejussoris
occasione l. 114. P. 1. c. 1. et 2.
7. Laubs, Fridericus Henricus: De Lacustibus
8. Foch, Jo. Georgius: De notis veterum criticis et
censuris auctoribus.
9. Schroeterus, Jo. Christianus: De vasallo non statuo
imperii
10. Sterzlius, Jo. Philippus: De extraordinaria cita-
tione
11. Struvius, Frid. Guilj: De cimelicis et nunciis
viciis communi jure.
12. Wildvogelius, Christianus: De privilegiis clericorum
in processibus.
13. Wildvogelius, Christianus, Collegii juris Decanus:
Programmum in ius: De tessera pimentaria et l. 52

§1. 2. d. jur. (lectioni auspicali Henr. Jac.
Escherdi praemisum).

14. Wölbogelius, Christianus: De causa propria

15. Wölbogelius, Christianus: De judiciis Silesiae
in appellabilibus. Dec. 1735.

16. Wölbogel, Christianus: De transactione ob
enormem laesionem non rescindenda.

P. 266



96. num. 26

1704, 14 16

Q. D. B. V.

Disputatio Iuridica

DE

CAVSA PROPRIA

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM, ANGARIAE
WESTPHALIAEQUE &c. &c.

DUCATUS ISENACENSIS HEREDE,

SUB PRÆSIDIO

VIRI ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI

DN. CHRISTIANI WILDVOGELII

JCTI CONSUMMATISSIMI

CONSILIARII SAXO - ISENACENSIS INTIMI

CVRLE PROVINC. ET SCAB. NEC NON FACVLTAT. JVRID.

ASSESSORIS GRAVISSIMI

JVR. PVBL. ET FEVD. ITEMQVE COD. ET NOV.

PROFESSORIS ORDINARII

Domini Patroni ac Præceptoris sui submissè venerandi

D. 29. APR. MDCCIV.

Publicæ disquisitioni submittit

A. & R.

MICHAEL JACOBI. Naumburg. Misn.



J E N Æ

LITTERIS MVLLERIANIS.

2/1

A SON ALTESSE REVERENDISSIME
ET SERENISSIME

MONSEIGNEUR

MAURICE GVIL-
LAUME

Administrateur Postulé de l'Eve-
ché de Naumbourg, Duc de Saxe,
Juliers, Cleves, de Mons, d'An-
grie & de Westphalie, Landgrave
en Thuringe, Marquis de Misnie,
comme aussi de la Haute & de la
Basse Lusace, Prince de Henneberg,
Conte de la Marck & Ravensberg,
Seigneur de Ravenstein
&c.

A SON ALTESSE REVERENDISSIME
ET BRUNNISSIME

MONSEIGNEUR

MAJRICE GVIL
LALME

Administrateur Pöfule de l'Ev-
ché de Naumbourg, Duc de Saxe,
Jollers, Cleves, de Mons, d'An-
gite & de Welfphalie, Landgrave
en Thuringe, Marquis de Milnie,
comme aulli de la Haute & de la
Basse Lorraine, Prince de Henneberg,
Comte de la Mark & Ravensberg,
Seigneur de Ravenstein

ccc



MONSEIGNEVR,



*E sont des choses
bien peu proporti-
onnées, que je fais
voir à present. Il*

) (2

n'est

☉(o)☉

n'est rien de si grand & de si
glorieux, que le Nom, que je
mets à la teste de ce Discours
Academiq^s & rien de plus bas,
que ce qu'il contient. Il n'y a
point de doute, que plusieurs
trouveront cet assemblage e-
trange & quelques-uns pour-
ront bien dire, pour en expri-
mer l'inegalité, que c'est poser
une couronne de perles & de di-
amans sur une statuë de terre,
& faire entrer par des Porti-
ques


ques magnifiques des Arcs
 triomphaux superbes dans
 une mechante cabane. Mais,
MONSEIGNEUR, ce
 qui me doit servir d'excuse,
 c'est qu'en cette aventure je
 n'ai eu aucun choix à faire,
 & que l'honneur d'etre né
 dans les etats de **VOTRE**
ALTESSE SERE-
NISSIME m'a imposé
 une necessité absoluë de Lui
 offrir les premieres essais des

) 3

mes

mes etudes, afin de ne pas passer pour le plus ingrat de la terre, car c'est un devoir indispensable dont je m'acquitte. Outre cela tout le monde sçait, que V. A. S. se fait un plaisir tout particulier d'estimer & de proteger les Sciences, ce qui me fait aussi esperer, MONSEIGNEUR, que la generosité & la passion dominante de V. A. S. n'aura pas pour desagreable la liber-

berté, que je prens de mettre,
 en toute humilité & avec un
 tres profond respect ce mien
 petit travail à ses pieds, La
 suppliant de lui vouloir faire
 un favorable accueil & de le
 regarder comme un juste hom-
 mage, qu'un sujet est obligé de
 faire à un Souverain aussi Ai-
 mable, aussi Magnanime, &
 aussi Clement que Vous etes.
 Je n'ajoute rien à cela que de
 voeux ardens, que je fais à
 Dieu




*Dieu pour la prosperité de Vo-
tre Sacrée Personne & de
Votre Auguste Maison. Je
suis*

MONSEIGNEUR

DE VOTRE ALTESSE
SERENISSIME

Le tres-humble & tres-obeissant
Serviteur & Sujet

MICHEL IACOBI.



Q. D. B. V.

PRÆFATIO.



D commune cum omnibus animantibus homo habet, cui sensus sui inest, ut se ipsum quàm maximè amet, se ipsum studeat omnibus modis conservare, commoda aucupari, & damna, quæ interitum minantur, repellere. §. 1. *Inst. d. I. N. G. & C.* Atque iste cujuslibet erga se ipsum Amor regulariter tam validus est, ut quævis inclinatio erga quemvis alium hominem ipsi cedat. Ordinata enim charitas incipit à se ipso, & durum est ac crudelitati proximum, ex tuis prædiis aquæ agmen ortum sitientibus agris tuis ad aliorum usum vicinorum injuria propagari, veluti Imperator loquitur in *L. 6. C. d. Servitut. & aqua.* Sic depositarius, si & suas res & depositum incendiò subortò salvare nequit, res suas depositò tutò præferre poterit, *L. 23. ff. d. Depos.* Datur verò adhuc alia species Amoris sui minus honesta, qua quis alteri sese ob *Causam* propriam seu utilitatem præ-

A

præ-

præsentat, v. gr. in Judicem, Tellem, item ad honores, officium &c. qui Amor sui in vita civili homines suspectos reddere potest. Id quod ipsum tamen in se non est universale, sed quibusdam in casibus pro ratione circumstantiarum aliter se potest habere. Academiis igitur propediem valedicturus, haud perperam me facturum arbitratus sum, si prius in consilium de studiis meis inibi gestis brevibus irem, illaque tenui documento obsignarem. Hinc quaecumque conatum specimen edere constitui, argumentumque de CAVSA PROPRIA elaborandum mihi sumsi, quippe quod non otiosum, sed usu moribusque est tritum, in universum Juris ambitum sese diffundens, ac ex qualibet ejus parte partem sibi vendicans. Quemadmodum verò omnia bene & competenter geruntur, si principum decens fiat & Deo amabile, per *Nov. 6. in pr.* ita & ad hanc Dissertationem solo Deo duce progredior. Tu verò, Lector æquissime, patere, ut benignam tuam censuram experiar, & si voluntati vires non responderint, humanitate
tua defectus meos
supple.

Cap. I.

CAPVT I.

Continens Generalia ad Cau-
sam Propriam spectantia.

TH. I.



Olenne suevit esse certam Juris ma-
teriam tractaturis , vocum inpr-
mis præmittere explicationem. Non
enim minus hoc notum satis, quàm
taciã quãdam observantiã hactenus
pro lege methodi introductum, imò
ipse Ictus Ulpianus expressè in *L. 1.*
ff. d. Reb. Cred. E re esse, inquit, *priusquàm ad verborum*
interpretationem perveniamus, *pauca de significatione*
ipsius Tituli referre: & illotis manibus materiam inter-
pretationis tractare, nefas esse, Ictus Cajus in *L. 1. pr. ff.*
d. O. J. existimat. Quapropter & mihi in præsentì hãc
Disputatione de *Causa Propria* acturo omninò incum-
bere putavi, generalia quãdam, quæ ad Tituli explica-
tionem facere videntur, brevibus in antecessum exponere.

TH. II.

Explicandæ verò voces in titulo hujus dissertatio-
nis occurrunt duæ, de quibus sigillatim pauca annota-
bimus. Quod attinet vocabulum *Causa* sive *Causa* (pro-
ut illud scribendum censet & Ciceronem atque Virgilium
ita scripsisse testatur Marcus Fabius *lib. 1. cap. 7.* apud Cal-
vin. in *Lex. jurid. verb. causa.*) nonnulli à verbo *ναῖσις*,

quod *ardorem* significat, deducunt, ideò quod *Causa* ad agendum impellat : Alii à *cavendo* dictum putant : alii à *casu*. Nos rectius primitivam vocem esse putamus, à quâ aliæ variæ descendunt. Alteram vocem *Propriam*, à *propè* deducere volunt, illudque designare dicunt, quod peculiare est unius cujusque. Quam curam Grammaticis relinquimus.

TH. III.

Vocabulum *Causa* varios assumit significatus, tam apud Philologos & Philosophos, quàm Jctos. Illis enim propriè *Causa* est, à quâ aliquid oritur, & quadruplex vulgò constituitur. Interdum etiam pro *excusatione* ponitur, ut, quando dicimus : *causam accipere, fingere, invenire*. Nonnunquam idem est quod *occafio* : aliquando *statum & conditionem* designat : A Jctis pariter diversimodè accipitur : nam 1. sumi solet pro *ritulo* debiti, actionis, dominii vel possessionis, sic enim Jct. in L. 3. §. 4. d. *acquir. poss. ex plurimis*, inquit, *CAVSIS eandem rem possidere possumus*. item in L. 32. d. *reb. aut. jud. poss.* ubi Paulus ait : *Privilegia non ex tempore astimari, sed ex CAUSA, & si ejusdem tituli fuerunt, concurrere*. 2. *Causa* accipitur pro *jure & conditione rei*, quo in sensu Pomponius scribit in l. 67. ff. d. *Contr. emt.* *Alienatio cum fit, cum sua CAUSA dominium ad alium transferimus*: atque ita intelligendus est titulus ff. d. *usuris & fructibus & omni causa*. 3. Accipitur sæpissimè pro *lite*, ut in §. 33. *Inst. d. Action.* ubi Justinianus inquit, *si quis agens intentione sua plus complexus fuerit, quàm ad eum pertineat, CAUSA cadebat, i. e. lite. & l. 1. C. d. Reb. Cred.* ubi Antoninus, *CAUSAM* i. e. *litem jurejurando decisam, preteritu*
per-

perjurii retractari non posse decidit. 4. Pro omni com-
modo & emolumento sumitur, quod ex re provenit, ut,
quando in *l. 20. ff. d. Rei Vind.* dicitur: *Nec enim suf-
ficat, ipsum corpus restitui: sed opus est ut CAUSA rei
restituatur.* Add. *L. 31. ff. d. Reb. Cred. L. 38. §. 7. L. 2. ff.
d. Usur.* 5. Pro re & negotio, quæ ultima significatio
est hujus loci. Vid. Calv. *Lex Jurid. verb. causa.*

TH. IV.

Ad *Proprii* vocem quod attinet, varios itidem hæc
patitur significatus. Logicis proprium vocatur, quod
per se & necessariò inest, indeque per se denominat su-
um subjectum, quo in sensu usufructus non pars, sed
PROPRIVM seu jus quoddam fundi esse dicitur in *L. 70. §.
2. ff. d. Fidej.* Porro nonnunquam ab ipsis *Juris Propri-
um* contra distinguitur *improprio*, veluti quando feudum
aliud dicitur esse *PROPRIVM* aliud *improprium*. Aliquan-
do opponitur illi, quod quis ex alterius concessione ha-
bet, licet concedens non sit proprietarius. Hac ratio-
ne Magistratus in legibus civilibus dicitur jurisdictionem
habere *JVRE PROPRIO* ad differentiam delegatorum ju-
dicum, qui nihil proprium habebant. *l. 1. §. 1. ff. d. offic. ejus
cui mand. est juris d. l. 3. ff. eod.* vocatur hæc jurisdictio
aliàs etiam *ordinaria*, quod ordinario jure competat.
Knich. d. Sublim. territ. jur. Cap. 1. n. 382. ejusque exer-
citiu suo quasi jure & arbitrio in alium conferri pos-
sit. *Perill. Dn. Baro de Lynck. Anal. ad Struv. L. 2. Tit. 1.
§. 7.* Denique proprium refertur ad dominium, & con-
trarium est ejus, quod alienum vocatur, seu quod non
est in alicujus dominio. Hoc verò sensu *proprium* iti-
dem aliud est, quod pleno jure ad aliquem pertinet, &
in

in quo alteri nihil planè juris competit, cujusmodi proprium aliàs solidum dominium denotat, in quo usufructus tanquam pars quædam inesse dicitur, *l. 3. ff. d. usufr.* Aliud, in quo alteri certum jus est constitutum, veluti usufructus, & sic ipsum jus dominium quadantenus diminutum: Et hac ratione *proprietas* ab ipso dominio, pleno scilicet, distinguitur, *l. fin. ff. d. superfic.* vocaturque *dominium directum* ab interpretibus, cum alius possit habere proprietatem, alter verò rei utilitatem, vel *utile dominium*. vid. Duaren. *lib. 1. disp. anniv. cap. 17.* Robert. *lib. 3. sent. Cap. 18.* Vultej. *ad Inst. d. Usufr. §. 1. num. 3.*

TH. V.

Sed ne diutius in solo verborum recensu subsistamus, quoniam rebus magis quàm verbis inhærendum est, *L. 17. ff. d. Leg.* ad descriptionem divisionemque *Causæ Propriæ* properandū erit, & priorem quidem talem constituo: *Causa Propria est, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet*, quam descriptionem Jctus ipse habet in *L. 1. §. 11. ff. quand. appell.* Et talis quidem causa *principaliter* propria dicitur. *Minus principaliter* verò causa propria vocatur etiam illa, in qua quis interesse saltem habet, *l. 2. §. 1. ff. quand. appell.* Hinc si necessaria persona sit, quæ appellat pro alio, propriam causam defendere dicitur. *d. l. 2. §. fin. qu. appell.* Vid. *Mev. p. 4. dec. 285. n. 4.* Ex quo deciditur, quod civitas de injuria sibi illatâ conqueri possit, tanquam in causa propria, si civi saltem injuria facta. *Gail. d. Pignorat. Obs. 6. n. 11. Mind. d. Proc. lib. 1. Cap. 43. n. 18. seq.*

Cap.

35 (9) 52
CAP. II.

Exhibens Specialia de Causa
Propria in causis civilibus.

TH. I.

Prelibatis generalioribus & quæ ad evolutionem nominis ac rei spectare videbantur, necesse nunc erit, ut rem penitus perlustremus, & primò quidem quidnam operetur *Causa Propria* in causis civilibus, quæ pertinent vel ad actus judiciales, vel extrajudiciales.

TH. II.

Quod actus judiciales attinet, primo loco statim sese offert hæc regula juris: Neminem ullo jure judicem esse posse in causâ propriâ, ita enim Julianus in *L. 10. ff. d. Jurisdic. qui jurisdictioni*, inquit, *preest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori vel liberis suis, neque libertis vel ceteris, quos secum habet.* Et ponderosè satis Imp. Valens, Gratianus & Valentin. in *L. un. C. ne quis in sua causa jud.* generali lege decernunt, *neminem sibi esse judicem vel jus sibi dicere debere; in re enim propriâ iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententia.* Hujus pronunciati duo sunt fundamenta. Nam 1. naturalis quædam pugna est inter rationem judicis & partis: atque hæc repugnantia deprehenditur tum in cognitione, tum in executione causæ; in cognitione enim partes contendunt jus suum esse, B judex

judex id demum cognoscit ; partes invicem controvertunt, judex decedit ; nemo autem idem simul potest affirmare quid & cognoscere, assensum simul dare & suspendere. In executione id quoque clarius apparet, cum nemo habeat imperium vel executionem in semet ipsum vel in parem, quam rationem quoque urget Jctus in *L. pen. ff. de Recept. arbitr.* ubi Marcianus scribit : *si de re sua quis arbiter factus sit, sententiam dicere non potest : quia se facere jubeat, aut petere prohibeat : neque autem imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest* : Cui ad stipulatur Jctus in *L. 13. §. 4. ff. ad SCtum Trebell.* his verbis : *Sed & si ipse Prator heres institutus suspectam dicat (hereditatem) ipse se cogere non poterit : quia triplici officio fungi non potest, & suspectam dicentis, & coacti & cogentis.* Altera ratio hæc est, quod homines à natura omnes plus sibi quam aliis faveant, ac suæ causæ semper plus æquo tribuant, quæ affectio sinceritatem judicandi planè corrumpit & impedit. *Barbos. Thesaur. Loc. Commun. Juris. L. 8. C. 122. Axiom. 6.* Hinc piè à Justiniano sancitum est in *L. 16. C. d. Judic.* ut omnes lites sine suspitione procedant. Huic equidem assertioni contradicere videtur Africanus in *l. 77. ff. d. judic.* scribens, quod *in privatis negotiis pater filium & filius patrem judicem habere possit*, cum tamen pater & filius pro una habeantur persona, *§. 4. Inst. d. inutil. stipulat.* & hac ratione quis in sua ipsius causa judex esse videatur. Sed variæ sunt DD. sententiæ, quibus leges hæc sibi met contradicentes in concordiam redigere conantur. Aut enim cum P. Fabro dicendum, posse quidem patrem judicem esse in causa filii, id tamen non esse honestum.

d.

d. l. 10. ff. d. Jurid. Aut cum Gothofred. ad *d. l. 77. n. 57.* accipiendum id erit, de actu Jurisdictionis voluntaria, non contentiosa. Aut cum Wefenb. & B. Struv. in *Evolut. ad Ex. 4. tb. 56.* distinguendum inter jus dicere, quod prohibitum patri, & inter judicare, quod permissum, ita nimirum, ut pater aut filius à Magistratu datus in causa patris aut filii admittatur, cum ex auctoritate aliena & formula à Prætorè præscripta judicet adedque certis limitibus includatur, ut nihil ex affectu statuere valeat. Vel denique dicendum est, procedere id ipsum, si adversarius consentiat, neque exceptionem suspecti judicis opponat. *arg. l. 6. C. d. adopt. l. 11. C. d. judic.* Nec verè contrariatur regulæ memoratæ *l. 16. ff. d. Off. Pres.* quippe in quâ expressè dicitur, quod præses non nisi parcissimè in causa comitum & libertinorum jus dicere possit, adedque abstinere potius debeat in talibus causis, dum Magistratum gerit. B. Struv. *Evolut. d. t.*

TH. III.

Recipit verò præcedens regula suas tum ampliationes, tum restrictiones, de quibus breviter dispiciendum. Ampliatur enim I. in summo Imperatore, ita ut nec is in causa propria judex esse possit. Licet enim nonnulli Imperatorem in propria sua causa judicare posse asserant, moti textu in *§. fin. l. d. vulg. subst. §. l. 41. ff. d. hered. instit.* ubi Tiberius Cæsar in causa Parthenii servi sui, qui tanquam ingenuus scriptus erat heres, rescriptisse dicitur, cui sententiæ etiam adstipulatur Menoch. *d. A. I. Q. cas. 430.* Rittershus. *ad Novell. Part. 9. cap. 6. n. 82.* Perez. *ad Cod. Lib. 3. Tit. 4.* Obrecht. *d. Jurisd. l. 3. c. 9. n. 92.* Id tamen constitutionibus Im-

perii nostri haud convenire, & à Sigismundo Imper. in
 literis ad Moguntinum anno 1426. datis aliud factum fu-
 ille, in verb: Uns gebühret nicht in unserer eigenen Sa-
 che Richter zu seyn / notat Limn. ad Aur. Bull. cap 5. §. 3.
 obs. 9. Accedunt Capitulationes Casarea, quibus Imp-
 jam ab antiquo tempore promiserunt, se causas suas con-
 troverfas, quas cum Statibus habent, disceptationi legitimæ
 submittere velle: ita enim legitur in Capitulatione Ca-
 roli V. art. 25. Wo wir zu denen Ständen des Reichs
 allen / oder einem insonderheit zu sprechen hätten / oder
 einige Forderung fürnehmen / dieselben sambt und beson-
 ders / Aufruhr / Zwietracht / oder andern Unrath in hei-
 ligen Reich zu verhüten / auch Fried und Einigkeit zu er-
 halten / zur Verhör und gebührlichen Rechten stellen und
 kommen lassen. &c. Quæ verba repetita inveniuntur
 in Capitulatione Ferdinandi I. art. 26. Maximiliani II. art.
 10. Rudolphi. II. art. 22. Matthiæ. art. 26. Ferdinandi II.
 art. 25. Ferdinandi III. art. 29.

TH. IV.

Quod si verò de judice coram quò Imperatoris
 Romani causa ventilari & tractari debeant, quaratur,
 diversos casus distinguendos esse putamus: aut enim
 Imperator ab aliò convenitur & impetitur, aut ipsemet
 alios in jus vocare intendit. Priori casu Electorem &
 Comitem Palatinum Rheni judicem Imperatoris consti-
 tuit Aurea Bulla cap. 5. §. 3. expressè asserens, quod Im-
 perator sive Rex Romanorum super causis pro quibus im-
 petitus fuerit, coram Comite Palatino Rheni, sacri Impe-
 rii Archidapifero, Electore Principe, habeat responderes.
 Quam judicandi potestatem Electori Palatino tributam,
 alii

alii ad causas quoque criminales extendunt. Schüz. *U. r. Disp. Jur. Publ.* 7. *tb.* 21. Alii ad causas tantum civiles & pecuniarias restringunt. Strauch. *Dissert. Exoteric.* 3. §. 12. quæ sententia videtur verior. Utut verò hæc potestas judicandi juri communi haud conveniens esse videatur, cum par in parem non habeat imperium, *L. 13. §. 4. ff. ad SCtum Trebell. L. 3. §. 4. ff. d. Recept. Arbitr.* multò minùs minor in majorem. *L. 18. in princ. ff. d. Minor.* Quia tamen ipse Imperator, deposita quodammo- do Majestate Imperatoria, cognitioni Comitum Palatini, quantumvis inferioris, se submitit, id dignitati ejusdem officere haud poterit; jure enim civili receptum est, eòque jure utimur, ut si quis major vel æqualis subjiciat se jurisdictioni alterius, possit ei & adversus eum jus dici. *L. 14. ff. d. Jurisd. vid. Rumelin. ad Aur. Bull. Dissert. 5. §. 3. Add. Schvved. Introd. juris. publ. p. 2. Sect. 2. c. 5. §. 18.*

TH. V.

In casu altero, si nimirum contingat, ut Imperator contra Imperii Statum insurgere & actionem intentare velit, quisnam ejus judex sit competens & quis causam dijudicare ac decidere debeat? non omnium eadem est sententia. Sanè pro Comite Palatino pronuntiandum esse videri posset, cum idem Imperatori reo jus dicendi potestatem habeat, adeoque Imperator judicium ejus in lite cum alio incepta aspernari nequeat, nec actori denegandum, quod reo licet, *l. 41. pr. d. R. l.* quin & Imperatori idem concedendum quod fisco, ut nimirum reum ad suum judicem trahat, *t. t. C. ubi caus. fise.* Verùm cum Aureæ Bullæ dispositio disertis

verbis de Imperatore *impetito* seu convento loquatur & hæc tanquam juris communis correctoria ultra suos tramites extendi non possit, *arg. l. 14. ff. d. leg. ad hunc casum* minimè erit trahenda, sed potius distinguendum inter causas, quarum dijudicatio instituitur, ita ut si causa sit fiscalis, hæc ad Camerale Imperatoris iudicium deferatur, *vi Ordin. Camer. part. 2. tit. 20. ibi*: Daß alle und jede Fiscalische Sachen an dem Keyserlichen Cammer-Gerichte gerechtfertiget werden sollen: Porro si causa occurrat feudalis, hæc coram Paribus Curia tractetur, ob generalem juris feudalis decisionem *II. F. 52. §. pn.* cui generali legi per nullam specialem constitutionem hæcenus est derogatum. *Schrad. d. feud. part. 10. fest. 5. n. 42. Reinking. d. R. S. & E. lib. 1. clas. 4. cap. 5. n. 2. seq. Limn. d. I. P. lib. 3. cap. 9. n. 51. utur dissentiat Sixtin. d. Reg. lib. 1. cap. 8. n. 53. pro Palatino* hac quoque in causa pugnans: *it. Ægid. Boss. d. for. comp. n. 170. & alii apud Knich. d. sublim. territ. jur. cap. 6. n. 3. seqq.* ipsi Imperatori hoc jus tribuentes. In reliquis verò causis civilibus, cum neque de modo legitimo, neque de personis, quibus hæc cognitio injungi debeat, in Capitulationibus Imperatoriis quicquam expressum sit, haud absonum quibusdam videtur, litem ad ordinum comitia deferri. *vid. Buxtorff. ad A. B. cap. 5. concl. 83.* Alii verò camerale vel Austregarum iudicium forum esse competens, illudque Imp. in dictis Capitulationibus subintellexisse autumant, cum actor aliàs rei forum sequi teneatur. *l. 2. C. d. jurisd. om. jud. vid. Rumelin. ad A. B. Dif. fert. 5. n. II. 12. Schüz. Vol. 1. Disp. 7. th. 21. lit. H.* Cæterum Imperatorem per reconventionem alium ad tribunal

nal Palatini trahere, per *l. 14. C. d. Sentent. & interlocut.*
 vel ex compromisso Palatinum judicem eligere posse, sta-
 tuit *Lim. ad A. B. d. l. obs. 8.* Quin & in casu hoc raris-
 simo arbitros eligendos esse, qui sententiam dicant, idem
 putat *in Comm. ad Capitul. Carol. V. art. 21.* Postremò
 si Palatinus Elector ipse Imperatorem in jus vocare ne-
 cessum habeat, ecquis tunc judicis provinciam subire
 debeat? disquiri posset. Electori Saxoniz quidem
 id competere, ex eo colligere liceret, quod in aliis acti-
 bus publicis, qualis est Coronatio novi Imperatoris, im-
 pediti Electoris munus per alium Electorem proximum
 veluti Archi-Episcopi Colonienfis per Moguntinum, ex-
 pediatur; Verùm quoniam legibus Imperii hac de
 re nihil est dispositum, ad remedium, quod ex com-
 muni DD. suffragiò, omnibus superiorem non recogno-
 scentibus honestum habetur, confugiendum, & arbi-
 tros eligendos esse, statuit cum *Frid. Lentio in Them.*
Synopt. th. 11. illustrissimus Comes de Wurmbbrand. Diss.
d. Foro S. R. Imp. Princip. cap. 1. th. 13.

TH. VI.

Idem quod de Imperatore jam dictum, de Rege
 Romanorum dicendum, & dispositionem Aurez Bullæ
 ad eum quoque extendendam esse, contendit Schüz.
Ex. VII. th. 21. Jur. publ. junct. Exer. V. th. 3. seqq. Ve-
 rùm rationi magis congruere, si Regem Romanorum,
 Imperatoris tribunali subjectum statuamus, tradit *Limn.*
ad Aur. Bubl. cap. 3. obs. 3. quæ sententia ex eo sustineri
 potest, quod Rex Rom. Imperatorem Dominum suum
 salutare non averfatus fuerit, veluti factum à *Ferdinando*
I. in Recept. Imp. d. an. 1555. S. solches alles. & R. I. d. an.
 1559.

1559. §. als sich dann. ac præterea constitutio A. B. tanquam singularis ad consequentiam trahenda non est, *l. 14. ff. d. LL. De Augusta idem judicium esto.* Quamvis enim de jure civili uxor sequatur forum mariti. *l. 9. C. d. incol. §. l. 13. C. d. Dignit. & Princeps Augustæ privilegia quæ ipse habet tribuisse dicatur. l. 31. ff. d. LL.* Id tamen ad specialem casum in A. B. expressum haudquaquam trahendum, in primis quod dispositio ista A. B. non contineat privilegium aliquod Imperatoris, sed onus. Adeoque Serenissima Augusta lite pulsata coram Imperatore tanquam supremo iudice convenienda erit, cum illud singulare sit, Cæsarem uxori & liberis jus dicere posse. *l. 3. C. d. quadr. præscr. l. 26. C. d. Proc.* utut Imperatorem, ad declinandam suspensionem, aliis iudicium committere deceat. *Limn. ad. d. C. 5. A. B. obs. 4.* Quod & multo magis obtinet, si ipsa Augusta alium convenire velit. *Dn. Comes de Wurmb. d. l. §. 16.* Idem ad Imperatoris liberos applicare identitas rationum exposcit, in primis si isti domicilium à Parente diversum instituant. *Dn. Comes de Wurmb. cit. loc. in fin.* Quid denique de Vicariis Imperii tempore interregni dicendum sit, exponit *Limn. ad Capit. Caroli V. art. 3. vers. Pfalz und Sachsen. n. 68.*

TH. VII.

Quid de aliis Imperii Principibus asserendum sit, ex jam dictis iudicatu est facile. Hos enim, cum absoluta non gaudeant potestate, sed imperio subsint, iudicem in causis suis controversis agnoscere debere, nemo ambigit. Atque hinc in causis civilibus Austregarum iudicio se submittere solent, licet ab extraneo quodam sive peregrino impetantur. *Schubhard. d. Austreg. cap. 4. n. 1.*
Schilt,

Schütz. *Jur publ.* V. 2. *Disp.* 3. *tb.* 10. *lit. e.* in criminalibus coram Imperatore accessitis in consilium Principibus forum sortiuntur. Burgold. *ad Inscr. Pac.* p. 2. *Disp.* 20. *tb.* 13. *Textor.* *ad Rec. Imper. d. an.* 1654. *Disp.* 1. *tb.* 72. in feudalibus judicium parium curiæ sequuntur. *Limn. d. J. P. lib. 2. c. 9. n. 32. seqq.* Struv. *S. J. F. cap.* 16. *aph. s. n. 3.* In matrimonialibus demum, quod quidem catholicæ religionis affectas attinet, Romanum Pontificem venerantur : Protestantes verò aut compromisso controversiam dirimunt, aut proprio Consistorio causam, peculiari juramento prius præstito, submitunt. vid. Schvved. *Jus publ.* p. 2. *Secl.* 2. *cap.* 17. §. 23. *seqq.*

TH. VIII.

Ampliatur porrò prædicta regula, quod nec Dominus Feudi in causa feudi solus judex esse possit. Hujus enim, utpote Domini directi, causa simul agitur, quæ ipsius judicium meritò excludit. Hinc optima ratione in jure feudali constitutum est, ut in disceptationibus feudalibus *Pares Curie* adhibeantur, tanquam judices ordinarii, II. *Feud.* 20. sive de feudo regali lis sit, sive non regali, & sive lis concernat dominum feudi principaliter II. *F.* 16. 39. sive per consequentiam, ut si alterutri vasallo succumbenti in judicio ad evictionem teneatur, II. *F.* 46. Struv. *Jur. Feud. Cap.* 16. *aph.* 6. Alias quod concernit privatorum personas & causas, nemo dubitat, quin regula præallegata semper locum sibi vindicet. Ex quo sequitur, dominum jurisdictionis prædium, cui jurisdictio adhæret, alteri locantem, si controversia circa locationem inter eum & pensionarium existat, haud commodè judicis partes sustinere. Brunnem.

C

ad

ad L. 10. ff. d. *jurisdic.* etiamsi sibi reservaverit jurisdictionem, quia reservatio tantum facta videtur quoad rusticos, non quoad personam pensionarii. Illustr. Dn. Stryk. Præcept. meus summè venerandus. in *Caut. Contract. Sect. 2. c. 9. §. 10.* Sed iusto & consueto iudiciorum ordine adversus ipsum procedere debet, cum nec alius Magistratus in hoc casu procedere possit. Dn. Müller in *Not. ad Struv. S. I. C. Exerc. 24. Th. 13. lit. 9.* In aliis verò causis, quæ contractum non concernunt, sed ob quas etiam in extraneum jurisdictionem exercere possit, omninò habet jurisdictionem. vid. *Mev. P. 4. Dec. 246.*

TH. IX.

Ulterius ampliatur memorata regula, ut ille, qui jurisdictioni præest, sibi, vel uxori, vel liberis jus dicere nequeat. L. 10. ff. d. *Jurisd.* scil. ne, uti amor sui ipsius, ita & amor suorum, à tramite justitiæ eum avertat. Id quod tamen nonnulli limitant in casu, quo adversarius in iudicem consentit aut non contradicit, atque de hoc casu intelligunt L. 77. ff. d. *Judic.* ubi dicitur, quod pater filium & filius patrem iudicem habere possint nec non L. 6. ff. d. *Recept.* in qua Gajus de re patris filium familias arbitrum & iudicem esse posse, asserit. Et ut adhuc unicuique ampliationis exemplum addamus, nec creditor, spreto iudicis auxilio, sibi ipsi jus dicere debet, ac rei oppignoratæ possessionem ingredi debitumque suum extorquere, per L. 13. ff. *quod met. caus. gest.* L. 177. ff. d. *R. J.* Licet etiam ex lege conventionis illi hæc potestas facta sit. L. 3. C. d. *Pign.* Materiam enim id suppeditat tumultibus & est res scandali plena. *Brunnem. ad Cod. L. 3. d. p.*

d. Pignor. in tantum, ut is qui contra facit, jus suum amittat. *L. 7. C. d. Vi Publ.* In foro tamen Saxenico praxin harum legum non esse receptam, nisi vis publica concurrat, latè probat Dn. Schilt. *Exerc. XI. eb. 14. § seqq.*

TH. X.

Quemadmodum verò assertionis superius propositæ, quæ neminem in causâ propriâ judicem esse permittit, suæ sunt ampliaciones, ita eadem certas quoque recipit limitationes. Nam utique de injuria sibi illata cognoscere ac judicare haud prohibetur judex, modo intuitu officii ipsi injuria fuerit facta, eaque evidens sit ac notoria. *Gail. L. I. Obs. 39. n. 1. Schrader. d. feud. sect. 1. part. 10. n. 110. Thomas Mezger. consl. crim. 3. n. 5. Mev. part. 5. Dec. 324. num. 7.* quia sic non tam suæ causæ privatæ est judex, quam lætæ publicæ dignitatis, & jurisdictionis suæ vindictam ac pœnam à jure statutam exequitur ac exigit. *l. un. ff. si quis jus dic. non obtemp. Rittershus. ad Nov. Part. 9. C. 6. n. 83. Carpzov. P. 1. C. 16. def. 28. n. 6. § Pr. Cr. q. 204. it. lib. 6. Resp. 97. n. 64. seqq.* Quod & juri canonico congruit, per expressum textum in *cap. 1. d. pœn. in 6. ubi Pontifex: sibi etiam & metropolitanis aliis in suis provinciis puniendi manifestas & notorias offensas, tunc eisdem illatas vel suis, libera sit de nostra speciali concessione facultas.* Quanquam judex inferior cautiùs agat, si rem ad superiorem remittat. Etsi enim hæc non privata vindicta sit, sed publica, facilè tamen aliquid humanitatis & privatorum affectuum commisceri poterit. Dn. Schilt. *Ex. 6. ad ff. §. 14.* Quin & si certa pœna injurianti isti statuta non sit, non posse judicem

ipsum poenam dictare, ne fortè ex affectu nimium gra-
vet delinquentem, statuit Ruland. *d. Commissar. part. 1.*
lib. 3. cap. 15. n. 7. in fin. Sigism. Wittum. conf. crim. 3. n. 8.

TH. XI.

Alteræ regulæ limitatio & casus, in quo quis iudex
esse in causa propria queat, est, si actus expediendus sit
voluntariæ jurisdictionis, *arg. l. 1. ff. d. Off. Prator. l. 18.*
§. fin. d. Manumiss. Vindict. l. 3. & 4. d. adopt. Coras. lib.
4. Miscell. cap. 9. Rauchb. p. 1. qv. 24. n. 2. Trentacinqv.
Tit. d. judic. Resol. 5. n. 16. Mev. ad. J. L. part. 2. tit. 1. art.
2. n. 108. Stephan. d. jurid. lib. 1. cap. 34. n. 45. Franzk. ad
tit. d. jurid. n. 12. Cum verò actus voluntariæ jurisdic-
tionis alii nudam Magistratus confirmationem sine ulla
causæ cognitione desiderent; alii causæ cognitionem
aliqualem prærequirant, distinctius de his ipsis statuen-
dum erit. In prioribus namque iudex autoritatem su-
am interponit, etiamsi causa ejus sit propria, secus ac
in posterioribus. Ad priorum censum refertur *Manu-*
missio vindicta, de qua Ulpianus in *l. un. §. 2. ff. d. Off. Con-*
sul. Nullam dubitationem esse, ait, *Consules apud se servos*
suos manumittere posse. Et Paulus, *apud filium familias*
Magistratum manumitti posse, asserit in *l. 18. pr. d. manum.*
vind. Quod & Idem confirmat in *l. 20. §. fin. d. t.* Præ-
terea Julianus in *l. 5. eod.* id ipsum exemplo suo com-
probat, quando scribit: *Ego, quum meminisssem, fa-*
volentem præceptorem meum & in Africa & in Syria ser-
vos suos manumississe, exemplum ejus secutus, & in Præ-
sura & in consulatu meo quosdam ex servis meis vindicta
liberavi. Deinde huc spectat *Emancipatio*, quæ actibus
voluntariæ jurisdictionis & legis actionibus annume-
ratur.

ratur. Hanc verò potestatem patri competere, ut coram seipso filium emancipare queat, constat ex *l. 2. ff. d. off. Prætoris*. ubi *Jctus filium familias Prætoris apud ipsum patrem emancipari posse*, memorat. Idem ex *l. 4. ff. d. adopt.* ubi dicitur, *Magistratum apud quem legis actio est, & emancipare filios suos & in adoptionem apud se dare posse*, *Neratii sententia est*. Quin &, si *Consul vel Præses filius familias sit*, posse eum apud semetipsum vel emancipari vel in adoptionem dari, *Jctus docet*, in *l. 3. ff. d. t.* Licet autem hoc ultimo casu absurdum videatur, quod Consul vel Præses in semetipsum quasi agat, cum unus duorum vicem sustinere vix valeat, *l. 9. ff. d. pact.* Quia tamen hic in persona Consulis duæ qualitates concurrunt, quarum una alteram non tollit, iudicium de illa persona, tanquam de duabus ferri debet, idque legibus non esse adversum, nec proinde absurditatem continere, patet ex *l. 59. in fin. ff. ad SC. Treb.* vid. *Roman. cons. 412.* Idem porro obtinet in *Adoptione*, nam & *Consulem & Præsidem in adoptionem dari apud semetipsum posse*, constat, *l. 3. ff. d. adopt. add. l. 4. eod. & l. 2. ff. d. offic. Prætoris*. Neque hic officit unitas personæ, quæ est in adoptato & Magistratu actum perficiente: Præsentia enim Magistratus in hoc actu ad solennia solum requiritur, ipsa verò adoptionis substantia consistit in voluntate adoptantis & ejus qui adoptatur, adeoque peculiari facto Magistratus opus haud est. *Dn. Struv. in Immo Gotbofr. add. l. 2. d. adopt.* Caterum cum in locum adoptionis Romanorum hodie unio prolium successerit, quæ teste *Gailio lib. 2. obs. 125. n. 5. seqq.* plenam causæ cognitionem desiderat, causam ejusdem coram ipso iudice, quem hæc

unio tangit, tractari non posse, facile liquet. Rickius.
d. union. prol. cap. 9. n. 14. Carpz. lib. 5. Resp. 6

TH. XII.

Actibus istis voluntariæ jurisdictionis accedit *In-*
sinuatio donationis D. solidos excedentis, cum in volen-
 res solum exerceatur, Berl. p. 2. dec. 157. n. 16. Stephan.
d. jurisd. lib. I. cap. 13. n. 20. & coram judice etiam incom-
petente fieri possit. Gail. lib. 2. obs. 39. n. 28. Clar. sent. lib.
4. §. donatio. qv. 15. n. 4. Coler. decis. 10. n. 4. Eandem
 igitur à Magistratu ipso factam & apud acta sua insinua-
 tam esse validam, certum est. Et de imperiali quidem
 donatione, textus est in *l. sancimus. 34. C. d. donat.* De
 qua latius Gail. *d. Obs. 39. n. 25. Gratian. disc. forens. tom.*
2. cap. 312. n. 2. Rauchbar. p. 2. quest. 11. n. 39. Quam con-
 stitutionem ad alios Imperii Principes & status rectè ex-
 tendit Menoch. *conf. 1. n. 374. & seqv. conf. 423. num. 16.*
 Brunnem. *ad d. l. 34. apanagiatos etiam, Besold. p. 6. conf.*
44. n. 37. seq. frustra dissentiente Wesehb. conf. 42. n. 70.
 & Treutl. *Vol. 2. Disp. 19. tb. 6. lit. d. Quin & cuilibet*
 nobili merum mixtumque imperium habenti id per-
 missum esse, nemo ambigit. Schneidew. *ad §. 2. l. d.*
donat. Eckolt. ad ff. d. t. §. 9. Carpz. p. 2. C. 12. def. 16.
 modò tamen insinuatio ista in præsentia actuarii ad ju-
 dicium Nobilis istius constituti fiat, prout notat perillustr.
 Dn. Baro de Lynck. *in Analect. ad Struv. S. I. C. lib. 39.*
tit. 5. tb. 10.

TH. XIII.

Idem omninò observatur in *Testamenti oblatione*,
 quam Magistratus ac jurisdictionis domini nostrates co-
 ram propriis suis Scabinis aliisque personis judicio exer-
 cen-

cendo praposisis peragere possunt. Ziegl. *ad aur. prax. Catvol. §. nobiles. n. 42.* Mev. *ad J. L. part. 2. tit. 3. art. 2. n. 104.* & *p. 2. tit. 1. art. 2. n. 104.* Carpz. *p. 3. dec. 293.* Berlich. *p. 1. dec. 93. n. 12.* Idque non solum in testamento ab ipso jurisdictionis domino confecto & in judicio suo reposito, asserendum; sed etiam eo extenditur, ut testamentum, in quo ipse dominus jurisdictionis, cui illud insinuatum, heres est institutus, validum habeatur, veluti pronunciat Ziegler. *ad d. §. Nobiles. n. 45. per l. 3. f. d. adopt.*

TH. XIV.

Videndum porro de *Hypothecâ* in re immobili *constituenda* ejusque *insinuatione*. Et hanc quidem actibus voluntariæ jurisdictionis accenseri, agnoscit Carpz. *p. 2. C. 23. def. 31. n. 2.* utut aliud asserere videatur *lib. 4. Resp. 31. n. 21.* Subsistit verò eadem, non solum si Magistratus aut jurisdictionis dominus in propriis suis bonis creditori suo hypothecam constituat & sic sibi metipsi consensum impertiat, modò huic actui Actuaris judicii juratus adhibeatur, & constitutio hypothecæ actis annotetur, Carpz. *lib. 4. Resp. 31. n. 30.* Rauchb. *p. 1. qv. 24. n. 2.* Martin. *ad Proc. Tit. 46. §. 2.* Müller. *in not. ad Struv. Ex. 4. tb. 72. lit. Z.* Qua ratione etiam Senatium res civitatis coram se ipso justè oppignorare, notat Mevius *ad Jus Lub. lib. 3. tit. 4. art. 1. n. 31.* Sed & si subditi Magistratui ipsi bona sua ejus jurisdictioni subjecta, coram istius judicio oppignorarent, cum hac ratione, finis, ob quem insinuatio hypothecæ introducta est, evitatio nim. defraudationis creditorum, obtineatur. Carpzov. *p. 2. c. 23.*

TH. XV.

Voluntariæ jurisdictionis actibus nonnulli DD. ac-
 censeant *Tutoris datioem*. Id quod equidem principiis
 juris civilis non convenit, cum tutoris datio haud qua-
 quam ad jurisdictionem ordinariam, quæ vulgò in con-
 tentiosam & voluntariam dividitur, pertineat, sed ex
 speciali lege, vel Sæto, vel Principis constitutione no-
 minatim certis quibusdam Magistratibus tribuatur. *l. 6.*
§. 1. ff. d. tutel. pr. §. 4. & 5. ff. eod. Alii actum istum
 mixtæ jurisdictionis esse statuunt, quam jurisdictionis
 speciem non agnoscit, sed refellit Perillustr. B. de Lyn-
 cker *in Anal. ad Struv. S. I. C. lib. 2. tit. 1. th. 69.* Hodie
 tamen, cum Magistratus quilibet vi jurisdictionis suæ
 tutores constituat, juxta Ord. Polit. Imp. *d. an. 1577. tit.*
32. & decretum desuper ferat, sine quo tutor admini-
 strationem suscipere nequit, Gail. *2. obs. 107.* Myns. *cent.*
2. obs. 35. non immeritò quæritur: An Magistratus
 semet ipsum tutorem constituere, & sic jurisdictionem
 in propria causa exercere possit? Negat id Ulpianus
 in *l. 4. ff. d. off. prat.* ubi de Prætore ait, quod *is neque*
tutorem neque specialem judicem ipse se dare possit. item
 in *l. 4. ff. d. tut. dat.* ib: *Prætor ipse se tutorem dare non*
potest. Nec non de Præside provinciæ, in *l. 5. ff. d. off. Præs.*
Præs. provincie non magis tutorem, quam specialem judicem
ipse se dare potest. Rationem si inquiramus, cur actus iste nõ
 eodem modo ac legis actiones jam antè memoratæ in
 propria causa exerceri valeant? vix alia reddi potest, quàm
 quod Prætore aut alius Magistratus semet ipsum tutorem
 constituens, ingerere se tutelæ videatur, adeoque su-
 spicionem sinistram incurrat, *l. 21. §. ult. ff. d. tut. dat. l. 2.*

§. 15. d. *susp. tut.* quæ suspicio facit, ut removeri talis tutor potius, quam administrationi præfici debeat *t. t. ff. d. susp. tut.*

TH. XVI.

Ad posterioris generis actus voluntariæ jurisdictionis, in quibus sc. aliqualis causæ cognitio intercedere debet, pertinet tum prædiorum minoris alienatio, *l. 11. 12. 16. C. d. pred. min.* tum transactio super alimentis in testamento relicta. *l. 8. §. 8. d. transact.* item datio bonorum possessionis edictalis. *t. t. C. qui admitt. ad b. poss.* arrogatio impuberis. *l. 15. §. 2. ff. d. adopt.* aliique similes, in quibus proinde Magistratum, si actus illum ipsum concernit, haud posse cognoscere ac decretum interponere, sponte sua sequitur.

TH. XVII.

Dantur & adhuc alii casus, quibus justas ob causas quis sibi ipsi jus quasi dicere potest. Si enim quispiam in fundo nostrò vi aut clam quid ædificaverit aut fecerit, id propria autoritate destruere possumus. *L. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. L. 22. §. 2. ff. quod vi aut clam.* quia possessio rei facultatem tribuit eandem propria autoritate defendendi. Brunn. *ad L. 29. §. 1. ad L. Aquil. Wesenb. in ff. d. Acquir. Possess. n. 7. in fin.* Illi quoque, cui expectativa est concessa, propria autoritate, modo possessio fuerit vacua, & conditio existat, eandem apprehendere non est prohibitum. H. Pistor. *L. 2. qv. 25. seqq. Struv. Syn. J. F. C. 7. aph. 7. num. 6.* Et generatim ubicunque periculum in mora est, aut judicis copia non statim datur, uti in casu *L. 10. §. 16. ff. que in fraud. Credit.* propria autoritate procedere fas est. *L. 54. C. d.*

D

De-

Decur. Mevius d. arrest. cap. 6. n. 58. Sic & religiosus à suo superiore, uxor à marito, subditus à Domino, debitor à creditore, si cum re debita aufugiat, capi potest. *Perez. ad Cod. d. Decur. n. 48. Brunnem. ad Cod. eod. n. 70.* Plures casus in quibus quis in propria causa quasi iudex esse potest, tradit *Speculator L. 1. p. 2. Tit. d. Actore. n. 55. Dn. Struv. d. Vind. Privat. & Grake d. auctor. priv.*

§. XIIX.

Cæterum quod contentiosam jurisdictionem attinet, illud adhuc notari meretur, ex generali Germaniæ consuetudine introductum esse, ut Landsassii, sive illi, quos Princeps de jurisdictione investivit, jurisdictionem istam in propria causa contra subditos exercere possint, si modo reum coram officiali suo jurato & Scabinis conveniant, atque actibus ad Collegium Ictorum transmissis sententiam petant. Quæ consuetudo haud est iniqua, quia si jam dicta requisita adsint, suspicio omnis facile tollitur, nec verè dici potest, dominum jurisdictionis sibi metipsam jus dixisse aut in propria causa sententiam tulisse. *Ziegl. ad Carol. §. Nobiles. n. 17.* Et hoc quidem diuturno usu ac fori Saxonici consuetudine introductum est, non tantum circa dominos jurisdictionales inferiores, de quibus *Zanger. d. Exception. P. 2. C. 1. Berlich. P. 1. Conclus. §. n. 57. & P. 1. Decis. 109. n. 6. Carpz. in Jurispr. For. P. 1. Const. 2. Def. 20. n. 4.* Sed etiam superiores, nempe Electorem & Duces Saxoniae, quippe qui ex inveterata consuetudine, & speciali privilegio, subditos suos & civitates municipales immediatè sibi subjectas coram curiis suis provincialibus, vor denen Hoffgerichten/ convenire possunt. *Ziegler. d. Jur. Maj. L. 1. C. 1. n. 32.* Imò & ipsi

ipsi ultro etiam curiis suis provincialibus in quibusdam
causis se submittunt. Ita enim se habet Ordinatio Cu-
ria Provincialis Lips. de anno 1549. sub Tit. Wer vor
das Ober-Hoffgericht. &c. Wir wollen auch selbst von
wegen unser Cammer-Güter und andern Nutzungen vor
diesen Ober-Hoffgericht des Nechten warten und ver-
folgen. Martin. Comment. For. ad Ord. Proc. Tit. 2. §. 3.
n. 5. Secus igitur est, si ipse Landsassius aut jurisdicti-
onis dominus inferior à subdito suo sit conveniendus,
id enim coram superiore iudice suo fieri debere, mani-
festum est. Ex quo porro sequitur, quod, si quis filios
Landsassii actione civili impetere velit, eam coram ju-
dice, cui pater subest, instituere necessum habeat, cum filii
pro una quasi cum parentibus persona habeantur, & he-
reditariam dignitatem ac successionem in jurisdictione
obtineant. Carpz. p. 4. Const. 43. def. pn. Id quod ju-
ri quoque civili congruit, l. 10. ff. d. Jurisd. ubi Ulpianus
eum, qui jurisdictioni præest, neque uxori, vel liberis suis,
neque libertis, vel cæteris, quos secum habet, jus dicere
debere, scribit. In causis tamen criminalibus liberos paren-
tum jurisdictioni subesse, idem Carpz. asserit d. dec. pn.
in fin. quia nim. propter delictum dignitatis privilegi-
um amittitur. l. 1. C. ubi Senat. A quâ sententia licet re-
cedat Schilt. Ex. ad Dig. 6. tb. 16. eandem tamen admit-
tit, si causa iudicio patris ea ratione, quæ supra exposita
fuit, superioris concessione submittatur.

TH. XIX.

Ex eo jam patescit, quod dominus jurisdictionis
Emphyteutam, den Erbzinsmann / ob canonem
non solum, coram proprio suo iudicio convenire pos-
sit.

lit. Carpz. *Jurispr. For. P. 2. Const. 38. Def. 2. n. 6. § lib. 1. Resp. 87. n. 15. seqq.* Id quod etiam in casu, ubi ad privationem Emphyteuseos vel aliam poenam agitur, verum esse, dicit Berlich. *Dec. 109. P. 2. Add. Hahn. ad Wesenb. tit. si ager vectigal. n. 3. in fin. Verb. vel coram se.* Idem quoque dicendum esse arbitror, si rustici seu subditi domino suo jurisdictionali ad operas certas & determinatas, gesezte und gemessene Dienste obstricti sint, easque praestare detrectent, propria enim auctoritate ad officium suum compelli, & multa pecuniaria, pignoratione fructuum vel carcere, contra illos procedi posse dubium non est, *arg. l. 6. §. 1. d. pen. Ziegl. ad Pract. Catvol. §. Nobil. concl. 1. n. 104.* Quin & in indeterminatis operis idem obtinere, ratio suadet, si modo modus fervetur, nec nimium praegraventur subditi, hoc enim casu arbitrium & cognitionem superioris dominus declinare nequit. *Martin. Comment. ad Ord. Prov. Tit. 2. §. 3. n. 20.*

TH. XX.

Quod de iudice ordinario dictum fuit, id iustissima ratione quoque ad arbitrum extendere licet, nam & hic in re sua iudex esse non potest, *l. pn. ff. d. recept. arbitr.* quia, ut sunt verba Icti *in d. l. se facere jubeat ac petere prohibeat: neque autem imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest.* Quod si quid ergo adversarii discretionem committatur, hoc magis abdicationem Juris quam electionem arbitri continere, scribit Illustr. Dn. Strykius *ad Comp. Lauterb. de recept. arbitr. verb. causa propria.* Filius vero in re patris arbiter esse potest. *l. 6. ff. d. r.*

TH.

Judicibus accensentur vulgò Notarii , seu Tabel-
hones , quibus auctoritate Imperatoria super negotiis li-
citis instrumenta publica , in fidem illorum quæ gesta
sunt , conficere permissum & injunctum est. *Ord. Imp. de
Notar. d. an. 1512.* Qui inde vocantur *Judices chartularii.*
Circa hos jam Notarios quæstio emergit , an in propria
quòque causa officium suum exercere & super contractu à
se celebrato instrumentum conscribere possint ? Negat id
Matth. Stephani *de jurisd. part. 2. cap. 5. n. 23.* Tiraqv. *d.
jure constit. p. 3. lim. 30. n. 39.* Caldas. *d. Empt. cap. 34. n. 17.*
Et rectissimè quidem , cum nemo alterum suo sibi scri-
pto obligare queat. *l. 5. § 7. C. d. probat.* & quia Nota-
rio in iis tantum , quæ coram illo , non quæ ab ipso facta
sunt , fides adhibetur , quod instar regulæ probè obser-
vandum esse , ait Ruland. *d. Commiss. lib. 5. cap. 5. n. 5.* Li-
cet autem B. Brunnem. *ad d. l. 7. C. d. probat. n. 5.* id i-
psum tunc admittat , quando magnum præjudicium me-
tuendum haud est , per tradita Papæ. *dec. 318.* præsertim
cùm in jurisdictione voluntaria aliquis duarum persona-
rum vicem gerere possit ; vix tamen est , ut huic sen-
tentix tutò confidere valeamus , cùm actus isti , qui à No-
tario expediuntur , ad jurisdictionem voluntariam non
commode referantur , sed ipsa Notarii consignatio pro-
bationis & testimonii causa suscipiatur , in qua illud ,
quod vulgò de effectu scripturæ in propria causa tradi-
tur , omninò observari meretur. Vid. Ziegler. *d. Jurib.
Maj. lib. 1. cap. 26. §. 9.* Caterum pro uxore Notarium
conficere posse instrumentum , tradit Stephan. *d. jurisd.
d. cap. 5. n. 27.*

A iudicibus ad Procuratores & Advocatos progredimur, qui equidem in causa propria & cognatorum suorum postulare easque pertractare de Jure non prohibentur. Rectius tamen agere illos, qui causam propriam per alios agunt ac tuentur, ut maximè peritissimi sint ipsi, ait Zieglerus *d. Jur. Maj. L. 1. C. 34. n. 23.* cum in propriis rebus plerumque simus coeci, & impetu quodam rapiamur, cui temperando quandoque vix sufficimus. Ziegl. *cit. loc.* Datur verò hæc in causa propria postulandi licentia etiam Clericis, qui sacris initiati Deo manciantur. Hi namque licet regulariter se rerum forensium peritos ostendere haud debeant, *l. 41. C. d. Episc. & Cler.* Vid. Dn. Stryk. *in Not. ad Jus Eccles. Brunnem. lib. 1. cap. 6. memb. 10. n. 8.* coram iudice tamen ecclesiastico advocatum agere non prohibentur. Coram iudice verò seculari & in negotiis secularibus advocati fieri non debent, nisi *propriam causam*, aut sanguine sibi conjunctorum, vel ecclesiæ suæ, aut miserabilium personarum prosequantur *cap. 11. X. d. postul.* Id quod Sacerdotibus quoque permissum esse, traditur in *cap. fin. X. d. t.* cum horum officium sit, nulli nocere, omnibus prodesse, *d. cap. Monachis* verò & Religiosis, etsi Clerici non sint, advocatum agere neutiquam licet, & ne quidem monasterii sui causam tractare, nisi Abbatis accedat mandatum, sive agatur coram iudice ecclesiastico, sive laico, *cap. 2. X. d. t. vid. Inf. cap. IV. th. 3.* Cæterum hodiè postulandi licentia in plerisque judiciis adeò restricta est, ut nemo, licet jurium sit peritissimus, in sua causa postulare possit, nisi ordinario Advocatorum

rum

rum numero adscriptus, & juramento speciali Advocatis præscripto, de omni calumnia præcavenda, & causis ad justitiæ regulas perorandis sit constrictus. Quæ praxis ubique locorum obtinet, ubi ordinarii Advocati sunt constituti: ubi verò fora omnibus patent, qui Juris peritia sunt instructi, ibi postulandi licentia quoque in propriis causis patebit, vid. Dn. Stryk. *Vf. Mod. ff. d. Postul. §. 4.* De mulieribus notandum, quod illæ in propriis causis in judicio comparere, agere & semet defendere jure civili non prohibeantur. *L. 1. §. 5. ff. d. Postul.* Aliena namque negotia per mulieres non aliter agi possunt, nisi in rem suam & PROPRIUM lucrum mandatæ sint eis actiones, ceu Imp. Severus & Antoninus rescribunt in *L. 4. C. d. Procur.* vid. Brunnem. *ibid.* Zanger. *d. Except. P. 2. C. 8. n. 95.* Quod quidem secundum jus civile ita se habet, ubi propriam suscipere defensionem non virile sed cujusvis est officium: nec enim rei suæ benè gerendæ occasio cuiquam auferenda. *l. 4. C. 9. C. d. Proc.* Dn. Müll. *ad Struv. S. 1. C. Ex. 7. tb. 14. lit. β.* jure verò Saxonico mulieres in judicio comparentes semper curatore opus habent, unde nec pro se postulare, nec se defendere possunt, sed ipsis ex officio dandus est curator ad litem, **Kriegischer Vormund** ne iudicium eludatur. Carpzov. *P. 1. C. 1. d. 30.* Hahn. *ad Wesenb. Tit. d. Postul. n. 4. §. 12.*

TH. XXIII.

Quæritur autem hoc loco, si quis in causa propria advocacionis munere sit functus, an ab adversario in expensas condemnato exigere possit salarium aut honorarium laboris sui? Quod negant Gail. *1. Obs. 157. n. 16.* Berlich. *P. 1. Conclus. 78. n. 51.* Carpz. *in Jurispr. For. Const.*

31. Def.

31. Def. 12. Nisi advocatus id petat per modum damni & interesse, quod videlicet eam ob causam tempore exclusus aliis operam præstare suam, aliorumque advocationibus interesse nequiverit, quia nemini officium suum damnosum esse debet, per *L. 7. ff. quem. Testam. aper. L. 61. ff. d. d. Furt. L. 19. C. d. Test. §. sed cum; minime.* Lauterb. *Comp. Jur. Tit. d. Postul. Dn. Müller. ad Struv. Exerc. 7. tb. II. lit. 6.* Bachov. *ad Trentl. Vol. 1. Disp. 8. tb. 2. lit. c.* Grev. *lib. 1. concl. 151. consid. 1. n. 5.* Perez. *in Cod. tit. d. fruct. & lit. expens. in fin. Lancellot. d. attent. p. 3. c. 31. n. 164.* Struv. *ad tit. d. postul. tb. II.* Idem dicendum de litis consortre, cum quo advocatus communem causam habuit, quoad illum enim gratis advocare non tenetur, sed pro parte consortis salarium postulare non prohibetur. Mynscent. *1. obs. 2. in fin.* Nicol. *ad Proc. Frider. part. 2. cap. 17. n. 20.* Carpz. *Proc. tit. 24. art. 2. n. 14.* Mantic. *d. tacit. & ambig. convent. V. 1. lib. 6. tit. 14. n. 46.* Quod etiam obtinet, si Advocatus intuitu accepti beneficii & remunerationis ergò, gratuitam operam consorti præstiterit, arg. *l. 12. ff. mand. Bocer. Clas. 6. disp. 30. tb. 8.* Perez. *d. l. n. II. in fin. Trentacing. Resolut. Pract. l. 2. Resol. 3.*

TH. XXIV.

Pergamus ad testes, de quibus notum est, quod in causa propria, ex qua nim. commodum sperant, vel damnum metuunt, ob affectionem à dicendo testimonio planè repellantur, per *L. 10. ff. d. Test. & L. 10. C. eod.* etsi integerrimæ sint vitæ, imò licet in mortis consistant articulo. *L. 3. §. 1. ff. d. SCto. Syllan. L. 4. ff. d. Inoff. Testam.* Hahn. *ad Wesenb. Tit. d. Test. n. 3.* quia proprii commodi spes iudicii lumen obscurat, teste Mascardo *d. Probat. concl.*

concl. 357. n. 58. Neque refert, an commodum vel incommodum testi principaliter obveniat sitque certum & necessarium, an saltem per consequentiam quandam, semper enim prædictæ dispositioni de non admittendo tali teste locus datur, *cap. 40. X. d. testib.* Farinac. *de testib. qv. 60. n. 2. seqq.* ubi latissimè per ampliaciones & limitationes hanc materiam pertractat. Add. Carpz. *lib. 3. Resp. 67.* Perez. *in Cod. Tit. d. testib. n. 9.* Brunnem. *ad l. 10. ff. eod. Mev. p. 2. Dec. 6. n. 1. § 2.* Hinc creditoris confessioni seu assertioni de pecunia sibi debita, fides neutiquam habetur, quamvis in scriptis expressa reperitur. *Nov. 73. cap. 3.* Et scriptura privata sive liber rationum pro scribente nihil probat. *l. 6. 7. C. d. prob. maxime si agatur de præjudicio tertii.* Gail. *lib. 2. obs. 20. n. 1.* Felin. *cap. 5. X. d. fid. instr. n. 2.* Nec auditur quis, si vel maxime semet ad iurjurandum offerat & hac ratione assertum suum probare contendat, vel etiam ipse aut alius, quem causa simul tangit, in testimonium vocetur, veluti ita in Dicastrio Jenensi pronunciatum fuisse, memorat Richt. *dec. 31. n. 6.*
 Ob ihr nun gleich in denen *addicionalibus* unter andern mit zum Zeugen angegeben / auch den 26. dieses zu Ablegung des körperlichen Eydes und eure Aussage zuthun sitiret worden / so seid ihr doch nicht in eurer eigenen Sache / vermöge der Rechte / Zeugnis zugebē verbunden.
 D. N. W. TH. XXV.

Atque hinc testis idoneus non est 1. Creditor in causa pignoris & ubi emolumentum sperat, *l. 4. §. 2. junct. §. 4. ff. d. appell.* Carpz. *Proc. Tit. 13. art. 5. n. 93.* Quod in simili casu etiam de debitore dicendum, si nim. is ex

E

testi-

testimonio in causa creditoris sui commodum aliquod sentiat. Carpz. *d. art. 5. n. 89.* Nicol. *Proc. p. 1. cap. 59. n. 29.* Colleg. Argent. *lib. 22. tit. 5. tb. 7. n. 11.* Nec 2. Venditor in causa emtoris, ratione ipsius rei emta, cum is obligatus sit huic ad evictionem præstandam. Brunnem. *ad l. 10. ff. d. test. n. 6.* Vinnius *ad Proc. Diss. 16. tb. 3. n. 21.* Wesenb. *ad tit. ff. d. testib. n. 3.* Nisi quaestio sit inter duos emtores, & causa confinium tractetur. *l. 12. ff. fin. reg. Farin. d. tr. qv. 60. n. 330.* Nec 3. Cedens in causa juris cessi. *arg. l. 9. C. d. procur. Lenz. d. cess. act. cap. 27. memb. 10. n. 19.* Trentac. *d. testib. resol. 3. n. 4.* Nec 4. Correas pro correo, in ista causa cujus est correas. Carpz. *lib. 3. Resp. 88. n. 15.* Farin. *d. l. n. 373.* Nec 5. Socius in re communi, sive is sit socius omnium bonorum, sive rei alicujus particularis confors. Farinac. *d. qv. 60. n. 48.* Nec 6. membra universitatis seu collegii, in causa singulorum ex universitate utilitatem spectante. Carpz. *p. 1. Const. 16. def. 65. & Proc. Tit. 13. art. 5. n. 77. it. lib. 3. Resp. 93. Vid. l. 2. & 7. ff. quod cujus. univ. nom. l. 10. §. 4. d. in jus voc. arg. cap. 6. & 10. X. d. testib. Trentac. d. test. resol. 4. n. 1.* Menoch. *d. A. J. 2. lib. 2. cas. 106.*

TH. XXVI.

Prædicta tamen regula, de testimonio in propria causa non admittendo, suas recipit limitationes. Admittitur quippe testis in causa licet ex ea commodum sentiat 1. si veritas aliter haberi nequeat. Carpz. *Jurispr. Consist. lib. 2. def. 169. n. 8.* aut testis protestetur, se ex sua depositione nihil commodi reportaturum. Hahn. *ad Wesenb. Tit. d. testib. n. 3.* Gomez. *var. resol. tom. 3. c. 12. n. 24.* Airer. *Proc. p. 1. c. 7. Obs. 10. n. 18.* Carpzov. *Proc. tit. 13. art. 6. n. 17. seq.* Nec repellitur 2. testis

testis de universitate in causa universitatis, si ex ista commodum non in singula membra redundat, juxta ea, quæ in *fin. th. prac.* dicta sunt. Admittitur præterea 3. testis in causa ad ipsum spectante, si adversarius non contradicat. Berlich. *dec. 264. per tot.* Riccius *Dec. 527.* Seraphin. *d. privileg. juram. priv. 120. n. 1.* Id quod tantum de eo casu intelligit Brunnem. *ad l. 10. C. d. testib.* quando res arbitrio partium est subjecta, ut de ea submittere se alterius arbitrio possint.

TH. XXVII.

Atque hac ultima limitatione nititur delatio juramenti, quod *litis decisorium* vocari solet, quando nimirum actor alia probatione destitutus, rei conscientiam totum negotium committit, eique jusjurandum super illo defert. Ipsum nimirum adversarium hac ratione in testem super ejus facto proprio vocari, ita ut ejus assertioni vel negationi juratò factæ stari debeat, nemo ambigit. Setser. *d. juram. lib. 4. cap. 2. n. 6.* Id verò licitum esse, ex *l. 12. §. 1. ff. d. reb. cred.* aliisque juris textibus satis constat, adeò quidem, ut is, cui hoc juramentum defertur, illud recusare nequeat. *cap. fin. X. d. jurej. l. 34. §. 6. l. 38. ff. d. jurej. l. 9. C. eod. nisi forsan id referre l. 34. §. 6. 7. ff. d. t. vel conscientiam suam probatione defendere velit, arg. c. 2. X. d. jurej. l. 30. pr. ff. eod. Carpz. Proc. tit. 11. art. 1. n. 73.* Verum nec tunc referri poterit jusjurandum, si id *proprium* ejus, cui delatum est, factum respiciat, *l. 34. §. 8. d. jurej. l. 11. §. 1. & fin. l. 13. ff. rer. annot. Carpz. p. 1. C. 14. def. 10.* Præsertim si reus actione famosa conveniatur, *cap. fin. X. d. jurej. Lauterbach. d. juram. §. 5. n. 87.* utpote quæ non datur,

nisi de *facto rei proprio*. l. 6. §. 2. ff. d. *bis qui not. infame*.
 Borcholt. d. *jurej. cap. 7. n. 14.* Vmmius. ad *Proc. disp. 14.*
 n. 48. Idem fieri in juramento quoque necessario &
 legali, eoque vel *suppletorio* vel *purgatorio*, facile li-
 quet; nam & in his causa dubia ipsius jurantis conscien-
 tia committitur eique velut testimonium in causa pro-
 pria perhibere conceditur. Sed quoniam id ex neces-
 sitate quadam & legis autoritate fit, utique sustinetur,
 eum alio modo res exitum habere nequeat. Setser. d. *ju-
 ram. lib. 4. cap. 10. n. 3.* vel, si quis testimonium in pro-
 pria causa admittere nolit, dicendum est, in hisce ju-
 ramenti speciebus Deum O. M. qf. testimonium perhibe-
 re, quippe qui à jurante in testem & simul justum vindic-
 cem invocatur, ut hac quoque ratione juramentum tale
 pro veritate habeatur.

TH. XXVIII.

Ea quæ de prohibito testimonio in causa pro-
 pria atque suorum dicta sunt, extenduntur etiam ad tes-
 tamenta. Licet enim testes in testamentis solennitatis
 magis, quam probationis causa adhibeantur; contin-
 gere tamen potest, ut si qui in ipso actu testandi vocati ad-
 fuerunt, super iis quæ gesta sunt testimonium ferre co-
 gantur, adedque voluerunt leges, ut neque *heres*, ne-
 que is, qui in potestate ejus est, neque pater ejus, qui
 eum habet in potestate, nec fratres, qui in ejusdem pa-
 tris potestate sunt, testes sint in eo testamento, quo ipse
 heres instituitur, §. 10. *J. d. testam. cod. l. 10. ff. cod.* quia,
 ut Imperator d. §. 10. loquitur, totum hoc negotium,
 quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur inter
 testatorem & heredem agi, nec licentia conceditur, ceu
 ulte-

§ (37) §

ulterius scribit Imp. *in fin. d. S.* sibi quodammodo testi-
monia præstare. Idem de *fideicommissario universalis*
dicendum esse, colligitur ex §. 2. & 3. *J. d. fideicom. hered.*
nec non de eo, cui *bonorum possessio* secundum tabulas
defertur, *arg. l. 2. ff. d. bon. poss.*

TH. XXIX.

Alia verò est ratio *legatariorum* ; Hi enim in
testamento, in quibus istis legatum relinquitur, testes
esse minime prohibentur, *l. 11. J. d. test. ordin. l. 22. C. d.*
testam. cum non sint juris universi, sed singularis cu-
jusdam rei successores, neque hinc in re propria, sed
in causa saltem heredis testes esse dicantur, id quod ne
personis quidem heredi conjunctis denegatur, *d. S. 11.*
J. d. test. ord. l. 14. ff. d. reb. dub. Schneidevv. ad d. S. 11.
Philipp. usu pract. Inst. d. tit. Eclog. 146. Nec obstat,
quod legatarius aliquod commodum ex tali testamento
consequatur ; quia hoc fit per consequentiam & per
accidens, accidentia autem ista testamenti substan-
tiam non intrant: quin & legatarius sæpè ignorans sibi
aliquid esse relictum, legatum acquirit, ac præterea,
reliqui testes legatario conjuncti omnem falsi suspicio-
nem facile removeere possunt. *Richt. p. 1. dec. 31. n. 21.* In
codicillis tamen legatarium testem adhiberi non posse,
contendit *Reusner. d. codicill. cap. 16. n. fin.* ex hac rati-
one, quod uti in testamentis ipsius heredis, ita in co-
dicillis res agatur legatarii, atque hinc is in sua causa
testis esse nequeat. Illud controversum est, an legata-
rius in testamento quoque nuncupativo in testem vali-
dè assumatur ? Affirmant hoc DD. non pauci, inter
quos est *Zoes. ad tit. qui test. fac. poss. n. 37. Reusner. d.*

testam. p. 3. cap. 22. in fin. Carpz. p. 3. C. 3. def. 6. n. 7. Sut-
holt. Diss. 7. apb. 49. Treutl. Vol. 2. Disp. 10. tb. 4. lit. K.
Hahn. ad Wesenb. tit. qui test. fac. poss. n. 11. verb. lega-
tarius. Vmmius ad Proc. Disp. 16. tb. 3. n. 10. Contrari-
am tamen sententiam defendit Dauth. ad l. 20. ff. qui test.
fac. poss. vers. quod in legatario. n. 4. in fin. ubi omnes
rextus legatarios admittentes de testamentis saltem scri-
ptis intelligendos esse, docet, cum quo facit Ant. Fa-
ber. d. error. pragmat. decad. 66. err. 1. Menoch. d. A. J.
2. lib. 2. cas. 106. n. 14. Brunnem. ad l. 20. ff. qui test. fac.
poss. n. 8. Quam etiam opinionem in collegio juridi-
co Jenensi receptam esse testatur Richt. d. dec. 31. n. 22.
in fin. & defendit eandem Andreol. controuv. 416. ubi
simul non admittit legatarium in eo testamento, quod
vi statuti peculiaris, cum minori testium numero con-
fici potest.

TH. XXX.

Huc porrò pertinet, quod *scribens testamentum*,
 testis quidem esse, ei tamen nihil in eo relinqui, & si
 quid ipsi relictum fuerit, id petere non possit, sed po-
 tius pœna Legis Corneliæ de falsis teneatur. *l. 3. & seq.*
C. d. bis qui sibi adscrib. in testam. l. 6. & seqq. ad L. Corn.
d. fals. Carpz. p. 3. Const. 3. def. 9. sive ipse sibi legatum
adscripterit, sive filio, quem in potestate habet, l. 14.
ff. ad L. C. d. fals. vel vice versa, l. 15. ff. d. bis que pro
non script. etiamsi scribens jussu testatoris id faciat, l. 14.
pr. d. t. Dauth. ad l. 22. C. d. testam. n. 5. Finckelth. obs.
101. n. 12. Videtur enim & hoc casu testis esse in causa
propria, quin & præsumptione falsi commissi gravatur,
quæ hoc in casu est juris præsumptio, & sic pro veritate
 habe-

habetur, ut ipsa poëta statim locum habeat: nisi contrarium in continentis probari queat, quod tunc fit, si testator ipsemet in sua subscriptione testatus fuerit, se tale legatum scribenti reliquisse *l. 22. C. d. testam. § l. 2. C. d. bis qui sibi adscr. Carpz. c. l. def. 10.*

TH. XXXI.

Consideranda jam porrò venit *Legitimatio liberorum naturalium*, non quidem tanquam actus judicialis, aut jurisdictionis voluntariæ, ceu nonnulli purant, sed tanquam analogus & qui similitudinem quandam cum illo habet. Ubi quaritur: Num Cæsar vel Princeps, supremam in Rep. exercens majestatem, proprios filios naturales legitimare possit? Sanè, cum Legitimatio involvat superioritatem, in regno autem præter summum imperantem nullus existat, qui jus hoc impertire valeat, necessum est dicere, quod ipse Rex vel Princeps proprios liberos hac clementia afficere possit. vid. *text. in cap. 13. pr. X. qui fil. sint legit.* Et cum magistratus filios suos apud semetipsum in adoptionem dare queat, *l. 3. § 4. ff. d. adopt.* quidni etiam liberos proprios naturales legitimare? Quò & facit id, quod Imp. in *l. 3. C. d. natur. lib.* scribunt, *indignum est, in- quientes, ut qui Sacratissima urbis ubere gloriatur, naturales suos non illustris ordine civitatis illuminet.* Huic igitur potestati innixi plurimi Reges, proprios suos liberos naturales hoc modo legitimos reddiderunt. Fridericus enim II. Manfredum, filium suum naturalem, ipsemet legitimavit eique regnum Arelatense reliquit. Ziegler. *d. Jur. Maj. cap. 10. §. 12.* Nec non Carolus I. & Philippus IV. Hispaniæ reges proprios filios naturales
à na-

à natiuitatis illegitimæ macula purgarunt. Vid. Bocerus
d. Regal. cap. 2. n. 68. Limn. *d. Jur. publ. lib. 2. cap. 9. n.*
 140. Perillust. Dn. de Rhez. *Jur. publ. lib. 1. tit. 4. §. 63.*
 Bardili *Disp. d. jud. Imper. aulic. cap. 5. Sect. 10. §. 21.* An
 verò Principes quoque Imperii nostri eadem hac facul-
 tate polleant? haud omnium una est sententia. Li-
 cet autem Ahasver. Fritsch. *manual. Jur. publ. verb. Le-*
gitimandi jus. Besold. *d. Regal. cap. 2. n. 112.* Stamler. *d. re-*
servat. Imp. §. 58. n. 8. Principibus Imperii jus illud de-
 negent; Rectius tamen alii illud ipsum eisdem tribu-
 unt, inter quos est Limn. *d. Jur. publ. lib. 4. cap. 9. n. 142.*
 Myler. ab Ehrenb. *d. Stat. Imp. cap. 45.* Kniptchild. *d. civit.*
Imper. lib. 2. cap. 4. n. 100. Certum enim est, ordinum
 Imperii in ditionum suarum administratione potesta-
 tem satis amplam esse, eosque aliquid ex summâ potestate
 trahere, ac analogia quadam majestati civili responde-
 re. Schvveder. *Jur. publ. part. spec. sect. 2. cap. 10. §. 3.* ut
 hinc axioma politicorum ortum coeperit: Tantum
 posse Principem in suo territorio, quantum Imperator
 in toto Imperio, exceptis Imperatoris reservatis. Schvved.
d. c. 10. §. 14. Hinc nemo facillè jus illud legitimandi pro-
 prios filios Principibus & Statibus Imperii auferet. Ast
 verò, cum Principum ista potestas ad provincias & ter-
 ritoria ipsorum sit restricta, consultius utique agent, si
 eosdem Imperatori legitimandos offerant & ab eo hanc
 gratiam impetrent, ut hac ratione extra territorium
 quoque suum pro legitimatis agnoscantur. Perillust. Dn.
 Stryck. *Diff. de Jur. Princ. extr. territ. cap. 2. n. 48.* Schvved.
Jur. publ. part. spec. sect. 1. cap. 16. §. 9.

Ex eo, quod jam probatum est, Imperatorem
 nim. proprios naturales efficere posse legitimos, infe-
 runt nonnulli ad Comites Palatinos, eisque eandem in
 suos liberos naturales tribuunt facultatem, cum nihil
 ob stare videatur, quo minus privilegio à Cæsarea Ma-
 jestate impetrato in suis quoque liberis uti queant. Ec-
 kolt *ad tit. ff. d. his qui sui vel al. jur. §. 23.* Sirauch *Dis-*
sert. ad Inst. 4. apb. 11. Tusch. *tom. 4. tit. 1. concl. 564.*
n. 10. Obrecht. *d. Jurisd. lib. 1. cap. 9. num. 16.* Schvve-
 der. *Jur. publ. part. spec. sect. 1. cap. 7. §. 14.* Mund.
 à Rodach. *d. Comit. Palat. cap. 3.* Klock. *Vol. 3. conf. 143.*
 Hahn. *ad Wesenb. tit. d. his qui sui. n. 2. verb. per diplo-*
ma. quorum opinionem sequitur perillust. Baro de
 Lyncker in *Analect. ad Seruv. Synt. 7. Civ. lib. 1. tit. 6. §.*
54. Verùm cum non eadem ratio sit in delegato, quæ
 est in delegante, & delegatus jurisdictionem univer-
 salem in districtu quodam acceptam in propria causa ita
 exercere nequeat, sicut ipse delegans exercuisset, insu-
 per is, qui ipse agit, instrumentum recte appellari non
 possit, vix est ut Comitibus Palatinis hanc proprios fili-
 os naturales legitimandi potestatem tutò adscribamus,
 prout etiam hanc sententiam, mutata priori, defendit
 jam laudatus Baro de Lyncker in *Analect. ad Schvved.*
jus publ. d. sect. 1. cap. 7. §. 14. cum quo sentit Treutler.
Vol. 1. Diss. 2. th. 6. lit. 2. Ludvvel. *Exerc. 2. th. 7. lit. 6.*
 Ziegler. *d. Jur. Maj. lib. 1. cap. 10. §. fin.* Harprecht. *ad*
Inst. tit. d. nupt. §. 13.

TH. XXXIII.

Progrediendum jam est ad actus extrajudiciales;

F

&

& quid in his causa propria operetur, dispiciendum.
 Occurrit autem hic nobis *Electio*, de qua quæritur, num
 quis in electione sibi met ipsi suffragium dare, atque
 hac ratione semetipsum eligere valeat? Sanè, non
 desunt exempla summorum quoque Principum, qui sua
 ipsorum denominatione & proprio voto ad imperium
 pervenerunt. De Sigismundo enim Caroli IV. filio Du-
 brav. lib. 22. *hist. Bohem.* narrat, quod ad Comitata tan-
 quam Elector Brandenburgensis vocatus, dignitatisque
 regis gratia primus sententiam de nominando futuro
 Cæsare rogatus, se ipsum nominaverit, his verbis: *Me
 ego novi, alios non itidem, an aequè mecum Imperio or-
 bis digni sint*: atque hanc liberam & apertam vocem
 Sigismundi miratos ceteros Electores communi con-
 sensu illam approbasse. Idem in electione Magistri or-
 dinis teutonici fecisse Henricum Ruthenicum, memorat
 Lehman. in Chron. Spirens. lib. 7. cap. 81. sequentibus
 verbis: *Anno 1410. haben die Brüder Heinrich Neuf-
 sen die Wahl eines Hochmeisters auffgetragen / auf sein
 Gewissen / daß welchem er das velum umbgeben würde/
 solte Hochmeister seyn. Nach gehaltener Mess / schwung
 er das velum umb sich selbst / bate / Sie solten sich nicht
 ärgern / er wüßte wohl / mit was Treu er das Land
 meynte: aber wie es die andern meynten / wäre Ihm
 unbewußt.* Recentiora hujus rei exempla habemus in
 Maximiliano II. Rudolpho II. Matthia I. & Ferdinando
 II. quæ refert Wurmser. *Jur. publ. Exerc. 2. qv. 7.* Quod si ve-
 rò de justitia talis electionis quæramus, dubitandi ratione
 nobis suppeditant ea, quæ jam supra de tutore & judice di-
 cta sunt, videlicet prætorem seipsum tutorem dare pro-
 hibere.

hiberi, l. 4. ff. d. tut. & cur. dat. & nec judicem Pedaneum, nec compromissarium ex sententia sua fieri posse, l. 5. d. offic. pres. item, quod nemo de habilitate sui ipsius testari queat. l. uu. C. ne quis in sua caus. jud. Verum enim verò cum prohibitio allegatarum legum tum ex speciali ratione procedat, tum quoque ista de actibus judicialibus, ubi de redditione ejus, quod cuivis secundum justitiæ commutativæ regulas debetur, agitur, loquantur, haud quaquam ad electionis negotium, in quo ad qualitates solum personæ respicitur, id extendendum erit, inprimis cum hæc sui ipsius electio clarâ Aureæ Bullæ dispositione nitatur, Cap. 2. §. fin. per quam DD. communiter electionem talem firmam esse probant, hac tamen adhibita distinctione, ut si uni tantum eligendi potestas tribuatur, is se ipsum eligere nequeat, cum eo ipso se suspectum reddat, §. 1. f. d. satis d. tut. l. 3. §. 7. ff. d. adm. tut. Si verò electio à pluribus fiat, electioni de se ab aliis factæ consentire, & hac ratione eligentium numerum augere, partemq; majorem constituere valeat. Ita enim dilucidè sancivit Carolus IV. in d. cap. 2. §. fin. A. B. In casu, quo tres Principes Electores presentes, seu absentium nuncii, quartum ex se, seu ipsorum consortio, videlicet Principem Electorem presentem vel absentem in Regem Romanorum elegerint, **VOCEM ILLIUS ELECTI**, si praesens adfuerit, aut nunciorum ipsius, si cum abesse contingeret, plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemque majorem decernimus constituere, ad instar caterorum Principum Electorum. Neque hæc Imperatoris constitutio juri communi repugnat, cum & Coelestinus Papa in Cap. 33. x. d. elect. firmam dicat

esse electionem, si ex septem compromissariis tres eligant quartum, hicque electioni de se factæ votum suum ad dat: accedit præterea ratio, quia hoc in casu quis non tam suum ipsius, quam aliorum sequitur iudicium illudque approbat. Schüz. *Jur. publ. Exerc. 2. th. 16. lit. e.* Reinking. *d. R. S. & E. lib. 1. clas. 3. cap. 5. n. 18.* Rumelin *ad A. B. diff. 3. th. 14.* Schwed. *Jur. publ. part. spec. sect. 1. cap. 2. §. 20.* Licet autem id quod de augendo vororum numero per proprium in se ipsum directum suffragium, lege publica constitutum est, nonnulli DD. restringant ad casum, quando aliorum jam vota præcesserunt, non verò admittant, ut Elector primo voto sibi aditum ad dignitatem quasi aperiat, veluti ita sentiunt Dan. Otto *d. Jur. pub. cap. 10.* Dieter. *ad A. B. cap. 2. §. fin.* Reinking. *d. l. n. 26.* Vix tamen est, ut hæc sententia assensum mereatur, quoniam nec hoc in casu ille, qui primum suffragium fert, totum suffragium facit, sed aliorum tantum multiplicat, & si quæ ratio votum prius de seipso excluderet, utique etiam excluderet posterius. Peril. B. de Lynck. *Analect. ad Schwed. part. spec. sect. 1. cap. 2. §. 20.* Limn. *d. J. P. lib. 1. cap. 3. n. 77. seq. & ad A. B. d. §. fin. obs. 4.* Danckwerts. *Jur. publ. lib. 1. tit. 6. §. 15.*

TH. XXXIV.

Inter reliquos actus extrajudiciales eminet *Tutoris autoritas*, de qua notum est, quod Tutor in rem suam sive *in propria causa* autor esse prohibeatur, *l. 1. ff. d. auct. tut. §. 3. J. cod.* Hinc & obligari pupillus tutori eo auctore non potest, *l. 5. ff. t.* nec tutor rem pupilli emere. *l. 34. §. fin. d. contr. emt.* Supplere namq; debet

bet tutor defectum personæ inhabilis, Illustr. D. Stryck. *not. ad Lauterb. tit. d. auct. tut. verb. auctor. fieri.* atque hinc non duplicem personam, actoris sc. & rei, seu auctoris & venditoris simul sustinere. *l. 9. ff. d. pact.* Accedit ordinata charitas sui ipsius, & quod tutor summoprius, quam pupilli commodum promoturus censeatur, *l. 6. C. d. Serv. & aqv. l. ult. §. fin. C. arbitr. tut.* Id quod tamen tunc solum procedit, si primariò seu directò res vel negotium, quod geritur, tutorem concernat, utpote si rem à pupillo emere, aut alia ratione sibi comparare velit, id enim illi facere non est permissum, *l. 5. §. 2. & 3. ff. d. auct. tut.* sive id per se agat, sive per interpositam personam, *d. loc. & l. 91. ff. d. acqu. hered.* alioquin non modò rem amittit, sed & in quadruplum convenitur. *l. 46. ff. d. contr. emt.* Secus si per consequentiam tantum illud negotium pertineat ad tutorem, ut si is autor esset pupillo, ut debitoris sui hereditatem adiret, id enim ipsi permitti, docet *l. 1. 5. & 7. ff. d. auct. tut.* Franzk. *ad Inst. §. 3. d. auct. tut. n. 8.* Neque hoc in tutore solum procedit, sed & in marito, qui uxori autor fit, non enim subsistit contractus uxoris cum marito in ejus commodum celebratus, ipso solo autore & curatore. *Carpz. p. 2. Const. 17. def. 20. Berl. p. 2. toncl. 17. n. 15.* itemque in filii contractu cum patre, marito. *l. 2. ff. d. contr. emt.* nec non in curatoribus, procuratoribus & iis qui aliorum negotiagerunt *d. l. 34. §. fin. d. l. Hahn. ad Wesenb. tit. d. auct. tut. n. 4.*

TH. XXXV.

Licet autem hac ratione tutor in re propria sibi met autor esse nequeat, rem tamen sibi à pupillo debitam sol-

vere, etiam immobilē tradere, non prohibetur. Montan. d. tutel. cap. 32. reg. 9. n. 107. Quod ita intelligit Cagnolus ad l. 15. ff. de reb. cred. n. 72. si agatur de executione contractus secundum voluntatem patris celebrati, in certa & determinata specie: quo casu alia solennitas necessaria haud est, cessante nim. suspicione læsionis & deceptionis pupilli. vid. Corasius lib. 5. miscell. cap. 15. n. 3. seq. Brunnem. ad l. 78. ff. d. contr. emt. n. 1. Quin & tutor, si creditor est pupilli, præsumitur sibi metipsum debitum exsoluisse, cum id facere possit. Magon. decis. Rot. Florent. 121.

TH. XXXVI.

Uterius de contractibus quædam dicenda veniunt. Et quidem in *re propria* non consistere *depositum*, neque rem suam apud ipsum dominum deponi posse, constat ex L. 15. ff. d. Depos. L. 45. ff. d. Reg. Jur. & ideo non datur hoc casu actio depositi contra depositarium, modo depositio facta fuerit ignorantem. Hinc elegantur Tryphoninus in l. 31. in fin. ff. depos. scribit: *Si rem meam fur, quam me ignorante surripuit, apud me etiam nunc delictum ejus ignorantem deposuerit, re- etè dicetur, non contrahi depositum, quia non est ex fide bona, rem suam dominum prædoni restituere compelli: sed et si etiam nunc ab ignorante domino tradita sit, quasi ex causa depositi, tamen indebite dati conditio competit.* Idem in *commodato* & *precario* procedere Jctus docet d. L. 45. ff. d. Reg. Jur. Rei propriæ tamen in tantum fieri potest depositum, nec non commodatum, si alius in ea jus quoddam reale habeat, videlicet possessionem, tunc enim nihil impedit, quominus rem propriam as-

an afferendam quis recipiat, respectu possessionis illius apud alterum existentis, arg. L. 6. ff. d. precar. L. 28. ff. d. acquir. Possess. Sic etiam rem meam stipulari nequeo, §. 2. Inst. d. inutil. stipul. l. 82. ff. d. verb. oblig. quia res quæ semel mea est, amplius mea fieri nequit, L. 159. ff. d. Reg. Jur. L. 14 ff. §. 2. ff. d. Except. rei Jud. Nisi tamen I. non sit perfectè mea, seu alter jus in eâ habeat. 2. aut sub illa conditione facta stipulatio, si res mea esse desierit, his enim casibus valet rei meæ stipulatio. L. 98 ff. d. Verb. Oblig. Planè etiam rem meam mihi restitui rectè stipulari quem posse, Jctus ait in l. 82. §. 1. ff. d. t.

TH. XXXVII.

Porro dominus rem suam emere non potest, quia quod semel ipsius est, amplius ejus fieri nec dominium duplicari potest, per L. 16. ff. d. Contrab. Emt. L. 4. §. 10. C. b. t. L. 40. ff. d. Pign. Act. L. 37. ff. d. Condict. indeb. L. 45. ff. d. R. J. Obstat equidem videtur L. 34. ff. §. 3. d. Emt. Vend. Verùm agitur ibidem non de rei suæ emtione, sed de recuperatione possessionis rei suæ mediante pretio. vid. Dn. Stryk. Not. ad Comp. Lauterb. d. Emt. Vend. Potest verò quis rem suam emere ratione juris sibi deficientis, si nimirum jus aliquod, quod alteri in re sua competit, emat. Hinc Paulus in l. 34. §. 4. ff. d. contr. emt. scribit: *Rei suæ emtio tunc valet, cum ab initio agatur, ut possessionem emas, quàm fortè venditor habuit, & in judicio possessionis potior esset.* Vid. Dn. Stryk. Not. ad Lauterb. tit. d. Emt. Vend. Vel si quis emeret rem pro indiviso communem, seu in qua alter sociorum partem habet. l. 35. ff. mand. Mozzius d. Contract.

Contract. Tit. d. Emt. rubr. d. reb. quæ emun. n. ff. Vbi addit & advertendum monet, quod emens seu conducens rem propriam ab alio, tanquam rem illius, perdat possessionem, sed si quasi non propriam, non perdat dominium. d. l. n. 56. Vterius pro se ipso fidejussorio nomine nemo intervenire haud potest, nec enim quasi pro se fidejubendo obligatur. l. 12. §. 2. ff. d. Fidejuss. Connan. L. 6. Comm. Jur. Civ. C. 6. n. 11. Cum fidejussio semper alienam præsupponat obligationem. L. 1. §. 8. ff. d. O. & A. L. 6. §. 16. ff. d. Fidejuss.

TH. XXXVIII.

Eodem quoque modo nec res propria *conduci potest, l. 45. ff. d. reg. jur.* Hinc Javolenus in *l. 21. ff. d. usufruct. cap. si is, qui pro herede fundum possidebat, domino eum locavit, nullius momenti locationem esse, respondet, quia dominus suam rem conduxisset: sequitur ergo, ut ne possessionem quidem locator retinuerit: ideoque longi temporis præscriptio non durabit.* Cum enim effectus domini sit, posse re sua uti: iniquum esset, usus hujus nomine cuiquam à Domino mercedem præstari. Illustr. Dn. Stryk. *ad Lauterb. tit. loc. cond. verb. conductoris propria.* Et ita quidem invalida est rei propriæ conductio, ut etiam contractus iste extinguatur statim ac conductor ejus dominium fuerit consecutus, veluti aperte Ulpianus in *l. 9. §. f. ff. loc.* scribit: *Si alienam domum mihi locaveris, eaque mihi legata vel donata sit, non teneri me tibi ex locato ob pensionem.* Atque hinc illud sequitur, quod Imp. Dioclet. & Maxim. Carpophoro rescripserunt in *l. 20. C. d. loc.* quod is, qui rem propriam conduxit, existimans alienam, dominium non transferat, *sed*

sed inefficacem conductionis contractum faciat. Et in l. 23. C. eod. quod ad probationem rei propria non sufficiat locatio ei facta, qui post de dominio cepit contendere, cum inscientia domini proprii & errantis nullum habeat consensum. Quin etsi sciat conductor rem suam esse, non tamen subsistit locatio, arg. l. 16. ff. d. contr. emt. Mantie. d. tac. & ambig. conv. lib. 5. tit. 3. n. 3. nisi præcesserit titulus ad transferendum dominium habilis, ut si venditor ante rei traditionem eam ab emtore conduceret: tum enim is emptoris nomine inciperet possidere, arg. L. 77. ff. d. R. V. Lauterb. Comp. Tit. Loc. Cond. non quidem tanquam suam, sed tanquam alienam, & ex constituto possessorio, cum per fictionem brevis manus res ex vendito tradita & ex locato restituta censeatur. Illustr. Dn. Stryk. cit. loc. Planè dominum pignoris illud rectè conducere posse à creditore ex L. 37. ff. d. Pign. act. L. 37. d. Acquir. poss. aperte liquet.

TH. XXXIX.

Denique in re propria hypothecam consistere non posse, manifestum est ex L. 45. ff. d. R. J. L. 29. ff. d. Pign. act. L. 30. in fin. ff. d. Except. rei jud. L. 17. ff. d. qui pot. in pign. adeò, ut translatione domini rei hypothecæ in creditorem, hypotheca protinus extinguatur. L. 30. ff. d. S. P. V. L. 24. ff. d. Pign. act. L. 9. ff. quib. mod. pign. solv. L. 4. C. d. Evid. Juris enim rationi adversatur, ut quis idem debitor sit & creditor. L. 95. §. 2. ff. d. Solut. L. 50. ff. d. fidej. Exceptionem tamen ponit Mozzius d. contr. tit. d. pign. & hyp. rubr. d. reb. qua pign. dar. n. 32. in casu, quem Paulus proponit in l. 59. ff. ad SC. Trebell. de debitore, qui rem suam creditori obligaverat,

G

rat,

rat, eundemque heredem instituerat, insimulque hereditatem alteri restituere rogaverat, ut restituta licet ex fideicommissio hereditate, quasi Serviana tamen actio contra fideicommissarium competat & aditione hereditatis non censeatur confusa vel extincta obligatio ista realis, quæ pignori inhærebat. Aliam prælaudatus Auctor limitationem regulæ statuit in eo, qui Petri est debitor in centum, Petrus autem ex alia causa omnia sua bona eidem suo debitori obligat, ut sic vigore istius generalis obligationis proprium nomen, in quo est debitor, illi sit obligatum *d. l. n. 31. in f.* Cæterum majoris securitatis gratia interdum dominium cum hypotheca concurrere posse, absurdum haud est. *Dn. Stryck. in Not. ad Brunnem. Jus Eccles. L. 2. C. 14. §. 5.* exemplo pupilli, qui in re sua pecunia emta & dominium & hypothecam habere creditur. *L. 3. C. Arbitr. Tut.* adeoque pupillo electio competat, an hypothecariâ an rei vindicatione experiri velit. *vid. Carpz. in Jpr. For. P. 1. Const. 28. def. 109. n. 5. Brunnem. ad d. l. 3. C. arb. tut.* Item mulieris, quæ in re pro donatione propter nuptias obligata dominium habere dicitur & hypothecam, per *Nov. 65. C. 1. Auth. Permissa. C. d. Donat. ant. nupt.* Hahn. *ad Wassenb. d. Jur. dot. n. 11. verb. an donatio propter nuptias.*

TH. XL.

Adjicere jam pauca quædam liceat de causa propria, quatenus illa in probatione consideretur. Et de testimonio quidem in causa propria non permissio supra actum fuit, adeoque illud huc repetere supervacaneum erit. Licet autem testis in causa propria, & ex qua commodum aliquod seu incommodum sperare potest, non ad-

admittatur, de *facto* tamen suo *proprio* ipsum testari posse, dubium planè habet nullum: quin & hoc modo deponens plene probare dicitur, majoremque meretur fidem, quam si de alieno deponeret, in quo fortassis errare potest. Tiraquell. *d. retract. consangv. §. 1. gloss. 14. n. 47.* Matth. *d. Afflict. dec. 369. n. 6.* Atque hinc servi fugitivi quoque dicto credendum esse, si interrogatus, se in domo venditoris fugisse, respondeat, Paulus scribit in *l. 58. §. fin. ff. d. adil. ed.*

TH. XLI.

Occasione ejus, quod de depositione facti proprii diximus, non immerito quæritur, quidnam de allegatione *propria turpitudinis* sit statuendum? Nota quippe est Doctorum vulgata theorica, quod propriam turpitudinem allegans audiendus non sit, quæ regula fundatur in *l. 50. §. 1. ff. d. leg. 1. l. 30. C. d. transact. l. 4. C. d. revoc. donat. cap. 8. X. d. donat.* Verum ut brocardicum hoc rectè intelligatur, dicendum est, tunc demum eum, qui propriam turpitudinem allegat, audiendum non esse, si is in illa se fundet & jus aliquod seu actionem in tertii præjudicium inde prætendat. Hinc stipulationes contra bonos mores inita actionem non producant, *l. 5. C. d. cond. ob turp. caus. nec mandatum rei turpis, §. 7. ff. d. mand. nec mulier alterum fidejubendo decipiens beneficio SCti Vellejani utitur. l. 2. §. 2. ff. ad SC. Vellej. nec minor artem seu peritiam professus ac restitutionem petens eam impetrat. Maurit. de rest. in integr. c. 223. Oddus. d. restit. p. 1. qv. 23. art. 7.* Atque id quoque in heredibus obtinere, si illi turpitudinem defuncti sui antecessoris allegare velint, probat *l. 5. C. d. serv. pign. dat. manum.* Quin

nec turpitudinem propriam alleganti credendum esse in præjudicium tertii, evincitur ex *l. 5. C. d. condict. ob turp. caus.* ubi nec marito lenocinium confessio in uxoris damnum fides habetur, uti nec ipsi uxori, quæ liberos suos adulterinos esse fatetur *l. 29. §. 1. d. prob.* Nisi fortassis contra tertium illum alia ad sint turpitudinis aut criminis commissi præsumptiones, quæ quidem indicium non ad condemnationem, aut torturam, sed ad inquirendum præbere valeant. *Carpz. Pr. Crim. qv. 121. n. 20. seqq.* Aliud ergò dicendum, si allegatio propriæ turpitudinis in ipsius allegantis præjudicium vergat, huic enim allegationi credendum esse, vel ex eo patet, quod confessio sit omnium firmissima probatio *l. 9. C. d. probat. l. 14. C. d. rei vind. l. 13. C. d. non num. pec.* modò tamen de ipsa turpitudine seu corpore delicti jam aliunde satis constet, *l. 1. §. 17. ff. d. quest.* Jac. Schultes. *ad Mod. Pist. p. 6. qv. 140. n. 15.* & ad poenam publicam infligendam agatur, non si ad civilem. Vid. Exc. D. Joh. Sam. Stryck. *Dissert. d. allegat. propr. turpit. cap. 4. §. 18. 24. & seqq.*

TH. XLII.

Testimonio dicendo & confessioni contraria est *Ignorantia*, quæ alia juris, alia facti esse dicitur *l. 1. pr. ff. d. jur. & fact. ignor.* Et facti quidem ignorantiam excusationem præbere nec obesse, tam in lucro quærendo quam damno vitando, certum est. *l. 9. §. 4. d. t. l. 7. C. eod.* modo talis ignorantia non sit supina, cum, uti *Jctus* in *l. 6. pr. d. t.* loquitur, neque negligentia crassa, aut nimia securitas toleretur, in ignorante factum, neque delatoria curiositas exigatur. Ex quo spontè fluit, quod *ignorantiam facti proprii* nemo prætere de queat, cum illa

illa valdè sit supina, l. 7. ad SC. Vellej. l. 3. pr. d. J. & F. ign. l. ult. pro suo. nisi forè ob memoriæ imbecillitatem, aut factis antiquis & intricatis hæc ignorantia facti proprii veniam mereatur. Dn. Struv. Ex. J. Civ. 29. th. 60. aut ignorans de damno vitando agat, quod in conditione indebiti contingere solet. l. 22. pr. d. cond. ind. l. 8. pr. d. act. emt.

TH XLIII.

Videamus etiam quatenus quis propriam utilitatem quærere ex re sua possit, cum vicini vel alterius damno. Et sane cuilibet in re propria utilitatem suam promoveri licitum esse, recta ratio dicitur, atque jure nostro probatur, l. 2. ff. si à par. quis manum. etiamsi alteri inde damnum inferatur; licet enim proximo inservire ejusque promovere utilitatem lex charitatis jubeat, charitas tamen ordinata à seipsa incipit arg. l. 6. C. d. serv. & aqv. modò principaliter sui ipsius utilitatis quæratur; nec aliquid æmulationis causa fiat. Gail. l. 2. Obs. 69. n. 17. Menoch. lib. 6. pres. n. 28. Hinc etiam depositarius incendio suborto res proprias salvare, easque rebus depositis præferre potest, licet deposita sint pretiosiores. Lauterb. tit. deposit. §. si res deposita. Illustr. Dn. Stryck. d. caut. contr. Sect. 2. c. 3. §. 2.

TH. XLIV.

In casu converso quilibet utilitatem propriam in re sua deserere, eamque perdere potest, cum ejusdem sit moderator ac arbiter. l. 21. C. mand. Si modo per hoc nec vicino noceatur, nec salus publica impediatur. Priori enim casu varia vicini contra vicinos prodita sunt remedia, t. t. ff. d. damn. inf. posteriori verò Princeps non permittit, ut quis re sua male utatur. §. 2. J. d. bis qui sui vel al. jur. sunt.

Considerans Causas criminales in Causa propria.

TH. I.



N præcedente capite circa ea, quæ de causis Civilibus pro ingenii viribus à nobis tradi potuerè, occupati fuimus, ordo nunc suadet, ut nos ad ea conferamus, quæ de *Causis criminalibus* in causâ propriâ notatu digna occurrunt.

TH. II.

Et primò quidem, licet regulariter nemo sibi jus dicere queat, sed judicem competentem adire debeat, uti latius dictum in præcedente capite, necessitas tamen, quæ legem non habet, moram illam judiciorum nonnunquam haud admittit, Wesenb. *ad Cod. Tit. ne quis in sua causa.* suadetque occurrere in tempore, nec post exitum demùm admissum vindicare. *L. 1. C. quand. lic. unic. se def. Perez. ad C. b. i.* Imò superior, si id videat expediri reipublicæ, cæris casibus vindictam privatis permittere potest, ita, ut hi non tam ut privati, quàm ex concessione potestatis publicæ, vindicandi ientiam exercent. Struv. *Traçt. d. Vind. Priv. C. 2. n. 7.* Hinc unicuique adversus quemlibet aggressorem, sive nocturnum agrorum depopulatorem & viarum obsessorum, semet defendere, eundemque occidere permis-
sum

sum, ut nimirum tum in agris, in quibus est major grassandi copia, tum in oppidis publica quies conservetur, ut verba sunt *L. 1. C. d. t. Brunnem. ad h. t.* Hinc etiam militiae desertorem seu transfugam, maximè si armis resistat, opprimendi licentiam tribuunt Impp. in *L. 2. C. qn. lic. unic. se def. L. 2. C. d. Desert.* quia is publicam devotionem seu fidem reipublicæ sacramento datam lædit, desertaque militia violat. Perez. *ad C. cit. loc.* id quod tamen moribus vix esse receptum ait Busius *ad L. 13. ff. quod met. caus.*

TH. III.

Constat præterea omnium sententiâ, quod furem sive nocturnum sive diurnum deprehensum in flagranti crimine, non solum capere, sed etiam, si cum telo sit, & deprehensorem lædere ausit, ita ut is parcere ei sine periculo non possit, impunè occidere liceat, *L. 4. §. 2. ff. d. Furt. L. 9. ff. ad L. Corn. de Sic.* Sed si fur non sit cum telo, licebitne eum impunè interficere? hic demum distinguendum est, inter furem nocturnum & diurnum illum enim quoquò modò occidi posse impunè, probatur ex *cap. 3. X. d. homicid. §. l. 4. ff. ad L. Aquil.* i. e. sive sit cum telo, quo se vel ad resistendum vel ad vim inferendam componit, sive absque telo: si modò cum clamore id fiat, & dominus ipse citra jacturam rerum & periculum suum aliter facere nequeat. Carpz. *Qu. 32. n. 37.* tenebræ enim terrorem augent, & incertus atq; anxius est paterfamilias an ad auferendum, an ad occidendum fur venerit. Ant. Math. *d. crim. t. 5. c. 2. n. 7.* Brunnem. *ad Cod. Tit. ad L. Corn. d. Sic. L. 4. n. 5.* Diurnū verò furem,

rem non aliter quàm si te telo defendat, occidere permissum. *d.l. 4 ff. ad L. Aquil.*

§. IV.

Occasione furti, non inutiliter quaeritur, num *rei propriae furtum* fieri possit? Et proprie quidem rei suae furtum facere neminem posse, constat ex *l. 43 §. 5. ff. d. furt.* quilibet enim est rei suae moderator & arbiter. *l. 21. C. mandat.* Juris tamen, quod forsitan alius in re nostra habet, furtum committi, quoties alterius interest retinere possessionem, negandum haud est, *l. 53 §. ult. ff. d. Furt.* Sic debitor, qui pignus in securitatem creditatum creditori suo surripit, non tam rem suam, quàm jus, quod creditori in ea competeat, i.e. possessionem interverisse dicendus est. *§. 10. Inst. d. Obl. qua ex quas. del. nasc.*

TH. VI.

Quemadmodum rerum, ita pudicitiae defendendae causa raptorem virginum, viduarum aut uxorum, nec non violentum stupratorem occidere permissum. *L. un. C. d. Rapt. Virg.* ubi parentibus & consanguineis jus interficiendi raptorem in flagrante crimine comprehensum conceditur: & de violento stupratore Divus Hadrianus, eum, qui stuprum *sibi* vel *suis* per vim inferentem occidit, dimittendum esse rescribit *L. 1. §. 4. ff. ad L. Corn. d. Sic.* Vid. Grot. *d. J. B. & P. Lib. 2. C. 1. n. 7.* cum virginitas & castitas ingentia sint bona, eaque corrupta restitui non possunt. *d. L. un.* ut hinc ejus defensio cum alterius interfectione recte concessa. *Struv. d. Vind. Priv. C. 5.*

TH. VII.

Apud Romanos olim ex *LL. XII. Tab.* licebat adulterum

terum quemvis in adulterio deprehensum occidere. Hanc autem potestatem marito Lex Julia de Adulteriis ab Augusto lata ademit, ita, ut ei non liceat necare uxorem in adulterio deprehensam. *L. 22. §. 4. ff. ad L. Jul. d. Adult.* Indulget tamen aliquid iustissimo ejus dolori, quo ex tam gravi injuriâ afficitur, ut hinc ei liceat eum solum adulterum, qui turpis & vilioris est conditionis, deprehensum domi suæ interimere, *per L. 24. ff. ad L. Jul. d. Adult. L. 4. C. eod.* idque non solum per se, sed etiam per filios, jussu ejus præcedente, aliosque comites & amicos. *L. 4. C. ad L. Jul. d. Adult. L. 25. ff. eod.* Si igitur maritus doloris impetu tractus, vel adulterum deprehensum, vel ipsam uxorem in adulterio inventam interficiat, facit is quidem contra L. Jul. ultimum tamen supplicium ei remittitur, poenæque extraordinaria dicitur, cum sit difficillimum justum dolorem temperare. *L. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. d. Adult. L. 4. C. eod.* Carpzov. *I. Dec. 95.* Decian. *L. 9. c. 15. n. 38.* Farinacius *Quest. 121. P. 2. per tot.* Est verò hæc nuda saltem ac simplex legis permissio, quæ actum non reddit licitum, multo minus conscientiam securam, sed tantum impunitatem tribuit, quò eò magis adulteri ab hoc scelere sibi caveant. *Illustr. Dn. Stryck. Nor. ad Comp. Lauterb. T. ad L. Jul. d. Adult.*

TH. VII.

Verùm patri adulterum filix suæ in ipsis rebus veneris repertum, cujuscunque ille sit conditionis, domi suæ, in qua habitat, vel in domo generi impunè occidere licitum: haud aliter tamen, quàm unâ cum filia adultera, idque si in continenti, propè uno ictu ac impetu utrumque necet, æquali ira adversus utrumque sum-

H

ta.

ta. L. 20. ff. ad L. Jul. d. Adult. L. 23. § 32. ff. eod. Brunnem.
ad b. L. Farinac. qu. 121. P. 1. per tot. Et patri quidem duntaxat id permiffum, qui filiam in potestate habet, non avo, reliquisque cognatis. d. L. 20. d. tit. Ratio differentia & cur jus civile non parem potestatem dederit marito, ac patri, elegans redditur à Papiniano in L. 22. §. fin. ad L. Jul. d. Adult. quia plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit, cæterum mariti calor & impetus facilè decernentis seu scævientis fuit refranandus.

TH. VIII.

De vindicatione propria injuriæ notum est, quod Retorsio, tanquam remedium quoddam defensorium, moribus magis ac consuetudine, quam sanctione juris civilis, in toto Imperio toleretur. Finckelthaus. Obs. 37. Gail. 1. Obs. 100. Id quod tamen ad Duella & pugnas privatorum, quibus nonnulli injurias verbis aut re sibi illatas vindicare audent, alterumque provocant, minimè est extendendum. Monomachias enim istas illicitas, nec in Republica Christiana ullò modò permittendas, aut impunè ferendas esse, late probat post alios Franzk. L. 2. Resol. 23. n. 7. etiamsi pro defendenda innocentia suscipiantur. C. 1. 2. X. d. Torneam. Brunnem. ad L. un. C. de Glad. pen. toll. Est quippe provocatio talis ad pugnam, opus affectatæ inobedientiæ, quatenus quis ita magistratus sui auctoritatem spernit, & sibi ipsi jus dicere præfractè annititur. Ziegl. de Jur. Majest. L. 1. C. 33. n. 17. cum tamen judiciorum vigor & juris publici tutela in mediò sit constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem. L. 14. C. d. Indeis. Perez. ad Cod. d. Glad. pen. toll. n. 6. Bocer. L. 2. d. Duell. C. 8.

TH. IX.

Ejusmodi vindictæ privatæ speciẽm præbent etiam *Diffidationes* *Befehdungen* veteribus quondam Germanis usitatissimæ, apud quos receptum erat privatas inimicitias hoc modo persequi. *Wehner. Obs. Pract. Verb. Befehden.* Dicebantur enim proprie diffidatores, qui non contenti ordinaria juris cognitione, sed spreta legum & magistratum autoritate, pro libidine sua, vi & metu homines, ut voluntati suæ parerent, compellere conabantur. *Moller. Comment. ad Const. Elect. Sax. 15. p. 4. n. 3.* Et aded quidem invaluerat prava illa consuetudo, ut nec Principis imperio nec legibus statim abrogari potuerit, licet certis limitibus fuerit coarctata per *Aur. Bull. Tit. 17.* Imperat. postea *Frideric. A. 1442.* eam restrinxit ad casum, quo justitia denegata vel protracta esset. *Arumn. ad A. B. D. 6. Th. 17.* Ubi enim quispiam iudicis copiam habere nequit, permittunt Jura propriam ultionem & propria autoritate sibi ipsi jus dicere. *Tit. C. quando. lic. unicuique se def.* Donec tandem *Maximil. I. in Comit. VVormat. Anno 1495.* saluberrimam constitutionem de *Pac. Publ.* promulgaret, quâ omnis belli privati ac diffidationum licentia penitus sublata, ac poena Banni in transgressores constituta. *Ziegl. d. iur. Majest. L. 1. C. 33. §. 36.* Quæ sanctio deinceps ampliata, & ab omnibus subsequentibus Imperator. renovata. *Carpzov. d. Leg. Reg. German. C. 3. Sect. 4. n. 3.* *Arumn. ad A. B. D. 6. Th. 17.* *VVehner. Obs. Pract. V. Befehden. Bocer. d. Diffidat. C. 2. n. 11.*

TH. X.

Digna excussione quoq; est illa quaestio; num aliquis ex commisso delicto, nec tamen noto, teneatur in conscientia

tia *semetipsum* ad pœnam offerre iudici? Multi hoc negative decidunt, ac Puffendorff. quidem in *Elem. Jurispr. L. 1. D. 12. §. 33.* hanc ejus reddit rationem, quia, quàmvis ratione damni, quod proximo illatum, unusquisque obligatus sit satisfactionem offerre, si sciat, cui damnum intulerit; non tamen pariter obligatus sit, ut semet ad pœnam publicam seu supplicium offerat, maximè cum delictum semel in Republ. commissum hac delatione infectum fieri nequeat. Imò etiamsi spontè denunciaret delictum, iudex tamen, si non constat de corpore delicti, illum ad pœnam trahere nequiret. Hoc tamen certum est, quod ille, qui se ultrò magistratui indicat, si delictum verè fuit commissum ac probatum, pœnæ quandam moderationem mereatur. *L. un. C. Ne Tut. vel Cur. L. 5. §. 4. ff. de Re Milit. Tiraquell. d. Pœn. temperand. Caus. 30. n. 7. Wésenb. Parat. ad ff. d. Pœn. n. 10.*

TH. XI.

Capiti huic finem imponat hæc quæstio, num iudex delinquens semetipsum morti addicere ac *sententiam* condemnatoriam *contra se ferre* possit? Id quod rectè negatur, in tantum ut nec supremo Principi hæc potestas in seipsum tribui queat, tum quod inter iudicem & reum diversitas sit personarum, tum quod Princeps sua ipsius lege minimè ligeretur. *l. 31. ff. d. LL.* Ut hinc Charondæ Tyrionum Principis factum meritò reprobetur, qui, cum legem tulisset, ne quis cum telo in concionem prodiret, ac capitis pœnam in transgressorem statuisset, ipse verò interjecto aliquo temporis spatio ex rure gladio accinctus in concionem processisset & legis à se latæ admoneretur, confestim ferro, quod

ge-

gerebat, districto semet interfecit. Vid. Tiraqu. *d. Nobil. capi. 20. n. 74.* & ea quæ hac de re habet Excell. D. Berger. *Disp. d. Potest. pers. publ. in seips. tb. 62.*

TH. XII.

Quod si igitur nemo mortalium semetipsum morti addicere, nec sententiam ultimi supplicii contra se ferre potest, sequitur, quod nec absque tali sententia, mortem sibi adsciscere, aut *autochiriam* quis committere queat, prohibente id ipsum non divina saltem, sed & humana lege. *l. 38. §. fin. d. pœn. l. 6. §. 7. de milit. l. 1. §. 22. d. Sc. Silan.* sive id fiat gloriæ, quam inde sperat, cupidine. Grot. *d. J. B. & P. lib. 2. c. 19. §. 5.* sive ad paupertatem, morbum aut aliud infortunium declinandum. Franc. d. Victoria. *Relect. d. homicid. 10. n. 2. Less. d. J. & J. lib. 2. c. 9. dubit. 6. n. 20. Molina d. J. & J. tom. 4. tr. 3. disp. 9. n. 2.* Licet autem Ulpianus in *l. 9. §. 7. d. pecul.* licere servis naturaliter in corpus suum sævire, asserat, indeque Faber. *in Rational. ad d. l. 9.* quod plus juris hac in parte servus, quam liber homo habeat, evincere conetur; Id tamen minimè ex hoc textu colligi poterit, cum *naturaliter* ibidem illud solum denotet, quod fit de facto, cum manus servi à Domino non ita sint restricta, ut illi damnum sibi inferre nequeant: & Ulpianus id tantum *in d. l.* ostendere voluit, dominum quæ de servi peculio creditoribus satisfacere tenetur, non posse antea deducere pretium servi, vel damnum, quod sibi contigit, dum servus semet occidit, quia se. servo naturaliter, i. e. extra conditionem servilem considerato in se sævire licuit, & dominus hunc casum fortuitum ferre tenetur. D. Struv. *Evolvur. ad Ex. 49. tb. 52.*

CAPUT IV.

Tractans de Causis Ecclesiasticis in Causa Propria.

TH. I.



Perustratis causis criminalibus, superest ut quædam de negotiis ecclesiasticis in causâ propriâ dicamus, & *judicem* quidem *ecclesiasticum* in causa propria jura canonica æque removent, ac secularem, cum & hic causa prohibitionis, nim. suspicio, subfit. *c. 15. d. Off. de leg. & c. 16. X. d. Appellat.* ita ut nec Pontifici Romano liceat sibi ipsi jus dicere: certum namque est, ipsum teneri respondere in concilio generali. *Uam. d. Process. Disp. 4. Tb. 7.*

TH. II.

Quod *Advocaturam*, vti vocant, attinet, indecens quidem hæc Clericis reputatur. *Soto. d. 7. & 7. L. 2. Q. 8. Art. 2. Laymann. Theolog. Moral. L. 3. Tract. 4. C. 26. n. 10.* cum se peritos ostendere dilceprationum forensium haud debeant. *L. 41. C. d. Episc. & Cler. L. 25. C. d. T. 5. am. Tot. Tit. X. Ne cler. vel Monach. secul. Negot. se immisc.* *Ziegl. ad Lancellot. L. 3. T. 2. §. 5.* si tamen pro ecclesia, pro se, suisque usque ad quartum gradum postulare velint, non prohibentur. *L. 13. C. d. Adv. divers. Judic. cap. 11. X. d. Postul.* Quod in eo casu, si negotium per alios æque com-

commode expediri non posset, & ecclesia inde non majus passura sit damnum, admittit Illustr. D. Stryck. ad Brunnem. J. Eccles. L. 1. C. 6. M. 10. § 8. Add. Eund. Disp. d. confc. advoc. c. 1. n. 64. Vid. supr. cap. 2. tb. 22.

TH. III.

Laicum non esse admittendum in accusationem contra clericum in criminali causa, censura sacrorum canonum manifestius edocet, ceu Pontifex loquitur in cap. 14. X. d. test. quoniam laicos clericis oppidò infestos antiquitas tradidit, juxta Dessel. Erot. jur. can. L. 5. tit. 1. qu. 4. (quamvis id solida ratione carere, ostendat. Brunnem. Jur. eccl. l. 3. c. 4. §. 8.) Attamen suam propriam, suorumve injuriam accusando prosequi laicis permittit Pontifex, d. c. 14. Sic & viceversa, licet clericus laicum criminaliter accusare vetatur, can. 6. caus. 2. qu. 7. In his tamen etiam causis, quæ sanguinis pœnam non habent, ob propriam suam suorumque injuriam accusationem posse Clericum instituere, monet Perillustr. D. B. d. Lyncker. in anal. ad Dess. d. qu. 4.

TH. IV.

De testimonio quidem dicendo notum est, quod nemo in causa propria testis sit idoneus. L. 10. ff. d. Test. § 10. C. cod. C. 5. X. d. Testib. C. 14. X. cod. C. 1. Caus. 4. qu. 4. C. 3. §. Omnibus in re. C. 4. qu. 2. § 3. In causis tamen ecclesiarum ipsi Prælati & clerici testes esse possunt, si modo per alium causam agant, nec ipsi sint ecclesiæ procuratores. C. 6. X. d. Test. Qua in re speciale quid constitutum videtur, per trad. Mascard. de Prob. Concl. 306. n. 4. Nam clerici non repellendi à testimonio. 1.) Ob personæ præcellentiam & fidem. 2.) quia hinc nullum metuen-

metuendum perjurium in causa principaliter ad ecclesiam & successores in officio, non ad hæredes pertinente. Nec 3) facile dari potest casus, ubi causa & interesse ecclesiæ ab interesse clericorum sit separatum. *conf. C. 1. Caus. 14. qu. 1.* Ob eandem rationem admittunt etiam Canonicum in favorem capituli deponentem. *Farinac. d. Test. 2. 60. n. 470. Rebuff. d. Reprob. Test. n. 49.*

TH. V.

Cum matrimonium hodiernum apud Evangelicos quoque ad causas ecclesiasticas referatur, non immeritò quæritur: apud quem *controversia matrimonialis*, Principem Imperii evangelicum concernens agi debeat? & an Princeps in tali causa sibi ipsi jus dicere queat? Negativa equidem posterioris quæstionis à nemine improbabitur: In prioris verò decisione DD. admodum variant. Alii enim Forum Austregarum his casibus competens esse censent, id quod defendit *Limn. d. J. P. L. 4. C. 8. n. 96. Ziegl. ad Calvol. Prax. §. Austreg. Concl. 2. Umm. d. Process. D. 4. Th. 10. n. 52.* Alii ad Imperatorem aut Cameram imperialem iri posse statuunt, ut *Mindan. d. Proc. lib. 1. tit. 10. n. 2. Mevius ad Jus Lub. L. 1. T. 4. n. 48. & p. 2. dec. 365. n. 16.* Alii ipsum Imperatorem hoc casu judicem constituunt. *Schubard. d. Austr. c. 5. n. 106. Textor. ad Recept. Imp. noviss. Disp. 1. th. 74.* Alii vel ad Commissarios Cæsaris, vel ad proprios Principis consiliarios negotium remittunt. Alii denique iudicium suum planè suspendere malunt, definitionem publicam ex Comitibus Impe-

Imperii expectantes, ut Vultej. *ad l. i. C. ubi Senat. vel clariff. n. 49.* Schütz. *Jur. publ. V. 2. Disp. 3. th. 13. lit. C.* Kizel. *Synop. matrim. c. 10. theor. 9. lit. H.* quibus cum facit Dn. Schyveder. *Jur. publ. part. spec. Sect. 2. cap. 17. §. 36. in fin.* ita tamen, ut si non de ipso matrimonio, sed ejus saltem accidentalibus aut consequentibus, veluti dote, donatione propter nuptias, alimentis, favitia mariti, agatur, cognitio ad ordinarium & secularem judicem pertinere putet. *ib. §. 27.*

TH. VI.

Ad jurisdictionem ecclesiasticam spectat, atque hinc causis ecclesiasticis annumeratur *Relaxatio à juramento. cap. 2. caus. 15. qu. 3.* quòd jus tamen hodiè Principes protestantes vigore juris superioritatis in his provinciis rectè exercent. *Rab. d. anno 1555. §. und sollen. Ord. Cam. p. 2. tit. 24.* idque in suos subditos. Non igitur Principes sibi met ipsis juramentum relaxare poterunt, ad exemplum aliorum actuum jurisdictionis, qui causæ cognitionem requirunt, quippe quæ hoc in casu omninò est necessaria. Atque hinc si vel ipse Imperator sit, vel alius dominus superiorem non agnoscens, qui relaxationem hanc desiderat, tutius aget, si inferioris judicio se submittat. *L. 14. ff. d. Jurisd. Limn. Jur. P. Tom. 1. L. 2. C. 9. n. 75. Müller. in Not. ad Struv. Synt. J. C. Ex. 17. th. 79. lit. β.*

TH. VII.

De *Jure patronatus* jam videndum, & an illud patronus ecclesiæ in se ipso licitè exercere valeat? Id quod negatur, per *C. 26. X. d. Jur. Patron.* ubi Pontifex hunc casum sequentibus verbis decidit: *Cum per*

nostras postulasti literas edoceri, utrum clericus ad vacantem ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, SE IPSVM (si est idoneus) valeat presentare. Cum igitur nullus se ingerere debeat ecclesiasticae praelationis officiis, respondeo, quod nullus se potest ad personatum alicujus ecclesiae presentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis & meritis adjuvetur. Ratio decisi in eo consistere videtur, quod non tantum presentatio ad munus ecclesiasticum necessario duas personas numero distinctas exigit. C. fin. X. d. Institut. Ziegl. ad Lancellot. L. 1. T. 28. §. 16. sed & quod hoc pacto quis se ingerat ad sacrum officium, & ambitionem præ se ferat in clerico haud quaquam probandam. Idque procedit, licet factis idoneus sit patronus & quibuscunque studiis ac meritis adjuvetur. d. C. 26. X. d. Jur. Patronat. nec non licet per delegatum se presentare velit patronus aut per procuratorem suum, qui nomine ipsius agat: multo minus per eum, cui cesit ad tempus jus Patronatus, secus si cesio facta fuerit in perpetuum. Zöf. in Decret. tit. d. Jur. Patron. n. 34. Quid autem dicendum de patroni filio, poteritne hic à patre presentari? Dicendum puto posse; perinde ut à filio pater, arg. l. 5. ff. quod cuiusc. univ. nom. Nec obstat, quod pater & filius habeantur pro una persona, lult. C. d. impub. subst. & quod filius acquirat patri: Nam fictio ista in publicis negotiis non habet locum. l. 9. ff. d. his qui sui. nec in spiritualibus filius patri quicquam acquirit, cessat quoque in filio præsumtio ista ambitionis, ob quam ipse patronus repellitur. Zöf. ad tit. d. jur. patr. n. 35. Illud tamen certum est, patrem eum in finem non debere acquirere jus patro-
na-

natus, ut filios suos vi illius ad beneficia ecclesiastica promovere possit, text. in *esp. 6. X. d. jur. Patron.*

TH. VIII.

Alia est ratio *Electionis*, quando plura suffragia concurrunt, tunc enim presentationi sui per alios patronos factæ consentiendo, numerum votorum augendo & sic jus sibi firmando, beneficium ecclesiasticum acquiri posse, nemo dubitat, *cap. 15. X. d. jur. patr. cap. 33. X. d. elect.* Sic enim quis minimè se ipsum præsentare, sed potius aliorum votis accedere, præsentationemque aliorum approbare censetur. *Zœl. d. l. n. 35.*

TH. IX.

Tandem de *Sacramentis* ecclesiæ pauca quædam adjicienda sunt. Et quidem Ministrum ecclesiasticum *sibi metipsum Eucharistiam* administrare posse Doctores Theologi concedunt, si necessitas hoc suadeat, Gerhard. *loc. d. S. cæna. §. 18.* Dedeken. *Conf. theol. Vol. 1. p. 2. lib. 3. sect. 3. n. 6.* Brochman. *System. 2. art. d. S. cæn. cap. 10. cas. 8.* Dunt. *cas. consc. c. 15. sect. 1. qu. 5.* Misler. *cas. consc. c. 15. sect. 1. qu. 6.* Tarnov. *d. minist. eccl. l. 2. c. 29. qu. 4.* Nihil enim prohibet, duplicem functionem in una persona concurrere, *arg. l. 3. ff. d. adopt. l. 9. ff. d. pact.* Extra casum verò necessitatis & si copia alterius ministri ecclesiastici haberi queat, id haudquaquam admittitur, cum sic scandalum præbeatur & contemptus ministerii inde eluceat. Balduin. *d. cas. consc. lib. 4. cap. 9. qu. 70.* Prückn. *cas. consc. qu. 70.* Brunnem. *Jur. eccl. lib. 1. cap. 6. memb. 4. §. 12.* Carpzov. *lib. 2. def. eccl. 293.*

TH. X.

De Sacramento *Baptismi* alud dicendum erit, nimis
I 2 nemi-

neminem *semetipsum* rite baptizare posse, ex ratione, quam Pontifex suppeditat in *cap. 4. X. d. baptism.* quia nimirum in baptismo spiritualis generatio celebratur. *Sicut ergo in carnali generatione, qua proles ex viro & femina nascitur, alius est qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur: sic in sacramentali generatione, qua soboles ex aqua & Spiritu sancto renascitur, alius debet esse, qui spiritualiter generet, & alius qui spiritualiter generetur.* Deinde inter baptizantem & baptizatum discretio intercedere debet, ad quod designandum ipse Christus non à seipso, sed à Johanne voluit baptizari, veluti iterum Papa loquitur, in *d. cap. 4.* neque tamen negat, Judæum qui ita semetipsum baptizaverat, si continuò decessisset, ad patriam protinus evolasse, propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum. Idem sentit Dedekenn. *Conf. theol. sect. 1. d. baptism. n. 9.* Add. tamen Gerhard. *loc. d. baptism. §. 66.* Atque hæc sunt, quæ de *Causa Propria* publicæ censuræ subijcere vires permiserunt ingenii. Tuum erit, L. B. quæ minus politè hic posita, politiori tuo judicio corrigere, omnia supplere, & omnia ita interpretari, prout dexteritati tuæ convenire autumas. Ei verò cujus cœlesti favore, conaminis præsentis auspiciis ad propositum finem producere licuit, devotissima pietate laudem tribuo & gloriam immortalem.

F I N I S.

QUel Sourano Nume,
che si benignamen-
te fin qui volle con-
servare sano e salvo l'amatis-
simo mio fratello, Quella De-
stra Omnipotente, che per
gli arringhi delle due famo-
sissime Università di Halla
e di Giena l'incaminò al pos-
sesso della Virtù, voglia pure
felicitarlo lo stesso, conceder-
gli una lunga e fortunatis-
sima Serie d'anni, e colmarlo
di tutte le sue celesti benedit-
tioni Questi saranno Sempre
gli

gli augurii e li voti, che dell'
intimo del cuore farà alla
Maestà Divina per l' unico
suo fratello


BERNHARDUS JACOBI.
LL. Stud.

Jena, Diss., 1704



f
56.





2947
23

96 num. 26

1704, 14

16

Q. D. B. V.

Disputatio Iuridica

DE

CAVSA PROPRIA

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM, ANGARIAE
WESTPHALIAEQUE &c. &c.

DUCATUS ISENACENSIS HEREDE,

SUB PRÆSIDIO

VIRI ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI

DN. CHRISTIANI WILDVOGELII

JCTI CONSUMMATISSIMI

CONSILIARII SAXO - ISENACENSIS INTIMI

CVRLE PROVINC. ET SCAB. NEC NON FACVLTAT. JVRID.
ASSESSORIS GRAVISSIMI

JVR. PVBL. ET FEVD. ITEMQVE COD. ET NOV.
PROFESSORIS ORDINARI


Domini Patroni ac Præceptoris sui submissè venerandi

D. 29. APR. MDCCIV.

Publicæ disquisitioni submittit

A. & R.

MICHAEL JACOBI. Naumburg. Misn.



J E N Æ
LITTERIS MVLLERIANIS.

29